



Zu den
öffentlichen Prüfungen,

welche an dem

Königl. Gymnasium dahier

am

13ten und 14ten September 1822 jedesmal von
Vormittags von 9 bis 12 und Nachmittags von
3 bis 6 Uhren statt finden werden,

lädet

alle Gönner und Freunde des Schulwesens, so wie alle
Eltern und Verwandten der anvertrauten Jugend

ergebenst ein


der Direktor der Anstalt

NIKOLAUS JOSEPH BIEDERMANN.

B O N N ,

gedruckt bei ANTON HACKER.

BONN
1 (1822)



DE
PLATONIS THEAETETO.

scripsit
F. A. Rieger.

CORRIGENDA.

- Pag. 2 v. 7 *potius* del.
— 2 v. 2 *pro sed leg.* ast.
— 15 v. 18 *pro cum leg.* quum.
— 18 v. 9 a fin. *pro explicare leg.* explicari.
— 37 v. ult. *eam* del.

Leviiores operarum errores benevolus lector ipse corrigat,
precor.

Quum omnes disciplinae artesque liberales et maximam utilitatem et suavissimam oblectationem praebeant, principatum tamen tenet philosophia. Cujus disciplinae praestantia, saepe egregieque a magnis clarisque viris laudata, eo in primis elucet, quod, omni ferme tempore criminibus undique congestis petita, dignitatem suam obtinuit, et ipsos suos insectatores et vituperatores coegit, ut taciti saltem ejus excellentiam agnoscerent. Dum appetitio veri natura humano pectori ingenerata maneat, philosophia semper summa laude florebit. Nulla aetas, nulla gens unquam extitit, quae non admirata esset virtutem, non adipisci voluissest veritatem. Hominem ex homine exuisset, qui investigandae veritatis odio esset impletus. Quid itaque, si omnes verum cognoscendi amore teneantur, si omnes virtutem laudent et admirentur, nonne disciplina, quae unice in veritate inquirenda versatur, et viam ad virtutem comparandam nobis monstrat, plurimi aestimetur? Quam ob rem optimi quique et ingeniosissimi viri, licet nomen philosophiae invisum esset atque suspectum, toti tamen huic studio dediti, et ipsi multum in sapientia profecerunt, et praedclare de genere humano meriti sunt. Quod si probi tantummodo et eximio praediti ingenio homines in hac doctrina elaborassent, nunquam in hanc multitudinis invidiam ea incurris.

set, sed ut vera animorum medicina et divinum quod-dam beneficium maximis ornata esset honoribus: sed multi ad eam se contulerunt, qui mentis acumine magis, quam animi celsitate instructi, perversis suis sententiis nocere aliis, non prodesse videbantur. Verum autem tantum aberat, ut horum hominum perversitate splendor philosophiae comminueretur, ut potius dissipatis falsarum opinionum nubibus clariore luce luceret, animos erigeret, mentesque sanaret. Etiam nostra et proxima aetas magnos in philosophia viros progenuit, sed antiquitas nobis semper repetenda erit, ubi fontes illi uberrimi scatebant, e quibus in sequentia tempora hauserunt. Inter veteres autem philosophos Plato eminet, ad quem omnes omnium temporum intelligentes existimatores primas deferebant. Tot tamque locupletum auctorum testimonio adolescentum industria evocatur ad perlegenda Platonis scripta, quibus nihil fructuosius et ad excitandum veritatis virtutisque amorem magis idoneum esse potest. Ut igitur adolescentes aliquid saltem de hujus scriptoris subtilitate et gravitate degustarent, mihi proposui, disserere de dialogorum platonicorum uno, qui Theaetetus inscribitur. Video, quid in hac re praestandum sit, praestare me posse despero — nam bene mihi conscius sum, meum ingenium quam tenue sit — attamen conabor et confisus humanitate virorum eruditorum, si qui has scidulas lecturi sint, ne ab illo, qui nihil de se pollicetur, magnum aliquid exigant, et spe ductus, operam meam vobis, optimi juvenes, non prorsus inutilem fore, ac benevolo quidem animo a vobis acceptum iri. Totam vero dissertationem meam tres in partes dividam, quarum in prima omnia exponam,

quae ad ipsum argumentum hujus dialogi pertinent, totumque orationis filum persequar. Religiosissime, quae ad rem intelligendam faciunt, exhibebo et interpretis munere fungar, ita tamen, ut amputatis omnibus, quae ratio et natura dialogi Platonici requirit, continens oratio non desiderat, liberius verser, et ipsa interpretatione rem dilucidare studeam. In altera autem parte, quid scientiam esse Plato statuerit, paucis disseram; in tertia denique de luminoso et quasi acutuoso nostri dialogi loco atque de ornamentis sermonis loquar, et alia quaedam leviora monebo.

Tota ergo hujus dialogi quaestio est de scientia, quod Plato ipse diserte proposuit. Haec autem quaestio non spectat ad singulas rerum cognitiones, in quibus variae artes ac disciplinae versantur, sed ad ipsam scientiam *), ut excutiatur, quid istud ipsum sit, quod scire vocamus. In hac re disquirenda Plato ita agit, ut varias scientiae definitiones proferat easdemque redarguat, alias ut prorsus falsas atque ineptas, alias bonis rationibus minus firmatas. Vera autem quae sit vis et notio scientiae, ipse quidem ex socratica illa disserendi ratione non affirmat, nec tamen rem plane in dubio relinquit, quum hoc quidem — ut omittam, quod egregio illo loco, quem lumen totius dialogi appellare mihi placet, significavit — quum hoc igitur certe hac disputatione assecutus sit, ut iis, quae de scientia definienda vel temere vel minus acute dicta sunt, refutatis, viam muniverit ad intelligentiam hujus rei, caverique, ne quis imprudens in eosdem scopulos incurreret. Scientiae autem definitiones, quae in hoc dialogo re-

*) cf. etiam Sophist. ed. Bekk. II. 2, p. 216. a vv. *μία μὲν*
etc. (ed. Tauchn. II. p. 62.)

censentur, haec sunt: scientiam esse aut judicium, quod sit in sensibus, aut judicium, mentis ipsius agitatione animo conceptum idemque vere recteque comprehensum, aut verum judicium, junctum cum ratione, quae res cogitata et quaesita a ceteris rebus accurate distinguatur. Primam harum scientiae definitionum, quas modo commemoravimus, Protagoras dedit, eique tota jonica schola suffragata est, cuius rationem protagoreae illi formulae quasi fundamentum substratam esse, Plato bene perspexit. Quum itaque Protagoram omni modo oppugnat et acerbe perstringit, tum in jonicam disciplinam invehitur, ejusdemque perversitatem demonstrat. Atque adversarios suos non tanquam absentes accusat, sed ipsos dicit in judicii certamen, ut causam suam defendant, quin benigne suppeditare illis nonnulla videtur, quibus res eorum erigi firmarie posse; et melius sane id fecit, quam illi ipsi fecissent, in primis, quod eas disciplinas, quae, societate quasi inter se junctae, mutuam sibi opem tulerunt, composuit atque conglutinavit. Ita re argute, subtiliter, nonnunquam acriter anquisita, horum hominum sententia expluditur: cetera satis acute, sed lenius tractantur. Sermo plerumque placide et sedate fluit, interdum fervet et exaestuat; est autem omnibus orationis virtutibus ornatus, omnibus sententiarum ac verborum luminibus distinctus, plenus leporis, facetiarum, urbanitatis jucundissimae, ut nihil subtilius, nihil gravius, nihil suavius dici possit aut excogitari. Sed referamus nos ad ipsam disputationem, quam in prima nostrae dissertationis parte exponere nunc conabimur.

Protagoreae disciplinae formula erat, hominem esse omnium rerum mensuram, id est, omnes res tales

esse, quales sensibus apparerent *). Idem ergo esse scire ac sensibus percipere. Qualitates enim nec rebus inhaerere, neque esse in sensibus aut extra eosdem, neque omnino locum certum tenere, sed fieri quovis temporis puncto, si oculi cum motione quadam conveniente et apta, quam res visa efficeret, concurrent. Nihil ergo esse, sed quae esse dicerentur, esse tantummodo, si ad sensus applicarentur, ita ut quisque nostrum verum cognosceret, si ad illos mentis judicium dirigeret. Veritatis igitur judicium in ipsis sensibus esse. Quum autem omnia fluenter continenter et laberentur, nascerentur et occiderent, ut nihil unquam esset constans, ne idem quidem, ex hac perpetua mutatione et sentientium et rerum adspectabilium evenire, ut de iisdem rebus neque omnes idem sentirent, neque iidem eadem unquam pari modo viderent. Sensus enim esse medium quidquam intersentiens aliquid et rem sub aspectum cadentem, nascique a motu quodam, proficidente a re ipsa ad sensus nostros, quos si illa afficeret, ipsam fieri visum aliquod, hos cernentes, audientes etc., et illud quidem tale esse dici, quo modo sensus affecisset. Duo nempe esse motus genera, numero infinita, quorum alterius vis in agendo, alterius in patiendo cerneretur: quo utroque genere concurrente et quasi contingente progigni et sensum et ea, quae qualia vocaremus.

*) cf. Cratyl. B. II. 2. p. 8 ad init. (T. II. p. 239.) Diogen. Laert. L. IX. c. VIII. πάντων ζηνιάτων μέτρον ἄνθρωπος, τῶν μὲν ὄντων, ὡς ἔστι· τῶν δὲ οὐκ ὄντων, ὡς ἔκ τοτιν. ἔλεγέ τε μηδὲν εἶναι φυγὴν παρὰ τὰς αἰσθήσεις καὶ πάντα σίναι ἀληθῆ.

Sensum autem et sentire sentirique ita inter se juncta esse atque devincta, ut alterum ab altero penderet, neutrum sine altero posset existere. Quod si essent qualitates per se, aut certae et rebus aut sensibus insitae, easdem semper eodem modo omnibus apparere, necesse esse. At contra evenire. Quodcumque autem quisquam senserit, id ipsi verum esse, quoniam, ut conveniret cum vi atque habitu, qui commodum ipsi esset, sic illud sentiret. Motus porro rationem duplificem esse, tardiorum quandam et citiorem; illam eodem in loco versari et petere propinqua, mutationemque nominari; hanc locum mutare, per spatium excurrere, tendere ad remotiora, eandemque proprio nomine motum vocari. Utroque motus genere effici, ut nihil per se constaret, omnisque res multifaria et quasi multiplex fieret. Sentiens ipsum hoc demum concursu, quale antea non fuerit, tale fieri, ut oculi quidem videntes; rem autem quidpiam, quod quale vocaremus v. c. rubram seu albam, nec vero albedinem aut ruborem; utrumque enim aliud esse, nec positum in rebus, neque in sensibus. Quod autem omnia fluenter ac mutarentur, jam communem rerum usum et contemplationem docere. Nam omnia motu et agitatione servari, quiete et segnitie perire et in corporibus et in animis, quorum utraque exercitatione servarentur et firmarentur, desidia diffuerent et interirent. Mente vero agitari discendo, quo rerum cognitiones sibi pararet meliorque fieret, ut contra quiete languescens ea ipsa, quae didicisset, oblisiceretur et in dies redderetur deterior. Idem ostendi in omni dissolutione corporum et putredine. Accedere gravissimam auctoratem veterum tum Homeri aliorumque in philosophia

excellentium virorum, tum Heracliti testimonium, qui rerum principia in igne et calore posuerit, quae ipsa motione et vibratione orirentur atque omnia gignerent,

Hanc igitur Protagorae sententiam de scientia Plato in controversiam vocat diligenterque examinat. Docet a principio, hoc ipsum, quod fieri et mutari nominaretur, etiam alia mente, quam vulgo intelligerent, accipi posse. Nam plerisque, si fieri dicarent, ejusmodi aliquid intelligi, quod plane manibus posset prehendi et in rebus corporeis tantum animadverteretur. Quare si de rerum mutatione loquerentur, ad pondus, mensuram, numerum, temporis intervalla respicere eos solere, ut nihil mutari statuerent, nisi quod pondere aut numero augeretur, aut cui additum aliquid fuerit sive ademtum, aut quod quum ante non fuisset, insequente tempore factum sit aut fieret. Plato autem, rem ad mathematicam referens, etiam in numeris esse observat mutationi locum, non tali quidem, qualem illi vellent, sed longe diversae. Si quis enim numeros inter se comparat, iidem tum majores, tum minores fiunt, prout cum aliis numeris conferuntur; ut, si conferamus septem cum quinque, majus illud esse statuemus, comparatum autem cum duodecim, minus: nec tamen non idem est et manet. Idemque valet etiam de aliis rebus; si qua cum alia quadam comparatur, aucta, minuta videri, eademque major et minor apparere potest, quin ipsa in aliam mutata aut omnino facta sit. Patet igitur, mutatis qualitatibus, non illis quidem, quae rebus ita inhaereant, ut prorsus evelli non possint, quin tota res alia evadat, sed iis, quae ex comparatione proportioneve rerum, ut ita dicam, existimentur, res manere easdem posse. Hoc

modo Protagorea ratione quasi levi impetu et obiter concussa, jam ad majora se accingit et illius de scientia opinionem ita aggreditur.

Si omnia, pergit dicere, — liceat enim mihi jam ipsum Platonem loquentem inducere — si igitur omnia talia sunt, qualia sensibus percipiuntur, ut veritatis judicium in sensibus sit, etiam ea, quae homines in somniis, in morbis, in furore videre sibi videantur, vera sint, necesse erit, nec quispiam nostrum sensibus falli poterit; quod tamen cum usu adeo et consuetudine loquendi pugnat, quum nemo de perperam audiendo videndoque non loquatur. Quid porro de dormientibus ac vigilantibus dicemus, utris vera apparet? Hominibus ipsis ea, quae per quietem viderint, ut vana atque falsa irridentibus, quomodo arguemus, alterum animi habitum ad assequendam veritatem altero esse aptiorem? Nunquam enim probari potest, in utroque vera cerni, nisi velimus pugnantia saepe et plane contraria in eandem formam redigere. Tempus ad hanc rem discernendam nihil facit, quia diuturnitate sive brevitate temporis veritas omnino non est metienda et tempus vigilandi dormiendiique ferme aequale est. Num imagines? Ne hae quidem; nam quae nobis per quietem offeruntur, eae nobis aequae accidunt atque illae, quas vigilantes sensibus percipimus. Quid? nonne si veritatis judicium in sensibus esset, omnia animalia, oculis, auribus, tactu quidem praedita, verum videre et animo concipere deberent, ut homines rerum cognitione plane nihil brutis praestarent? Omnis porro institutio, omnis disciplina, omnis doctrinae excellentia tollitur, quum nemo possit alium docere, nemo alio prudentior esse aut peritior,

quippe quod omnes verum per sensus mente concipient, et quantumcumque in singulis rebus inter se discrepabunt, omnes tamen aequae recte judicent; cuiquam sua sit veritas, sua sapientia. Quod si obtineret Protagoras, egregie profecto nobiscum ageretur: facillima enim via nobis aperiretur, qua ad summam escendemus virtutem. Diis enim ipsis aequales fieremus, quos veritatis abundantia humano generi multum anteponimus. Atque occurrunt alia, quae Protagoreae rationi adversantur; ut, si peregrinae linguae voces audiamus vel legamus, num mentem verbis involutam perspicimus? Ad hoc quanquam aliquis respondeat, mentem verborum quidem nobis non intelligi, sed id ipsum, quod sensibus cernamus, sonum vocabulorum, formas literarum, bene cognosci, multum tamen abest, ut sic omnia expediverit: nam id certe perspicuum est, praeter ea, quae in sensus cadunt, aliud quiddam esse, quod non sensu, sed animi nostri facultate quadam percipiatur; quod prorsus fieri non potest, si Protagoras vere censuit. Accedit, ut animae facultas insit, qua recordari possumus, quae unquam vidimus, audivimus. Qui itaque recordationi, remota aut impedita omni vi sensuum atque efficacia, si in illis tantum veritatis judicium positum sit, locus esse poterit? Tollenda igitur erit recordatio, aut absurdum dicere cogemur, scire nimirum quendam simul et nescire. Objiciat fortasse vir contentiosus acerque Protagoreae causae patronus, nequaquam esse absurde dictum, quempiam scire simul et nescire, dummodo teneatur, videre et scire idem esse; ut enim clauso uno oculorum, altero autem aperto, aliquis simul videat et non videat, ita scire simul eundem posse et nescire. At sic non sim-

pliciter eundem dicemus videre simul et non videre, sed quodam modo id fieri posse fortasse concedemus; ut ne his argutiis quidem satis probari possit, clausa altera sentiendi via, altera nos ad scientiam pervenire. Denique, si videre audireve idem esset, quod scire, omnia, quae ad accuratius definiendam vim et naturam sensuum dicuntur, etiam de scientia dici deberent. Quis autem unquam locutus est, obtuse, acriter, acute, aspere, laeviter scire? Ipsa consuetudo loquendi Protagorae sententiam irridere videtur. Verum autem Protagoras, quod ad recordationem attinet, esse quendam negabit, qui sic recordetur, quomodo tum, quum res oculis suis vidisset, affectus sit; mordicus tenebit illud, neminem eundem esse, sed quemque in multitudinem infinitam abire et distrahi, quod quovis temporis momento mutaretur. Pari constantia propugnabit sententiam suam, quanquam omnes verum viderent, alios tamen aliis esse prudentiores. *) Eum enim appellabit prudentem, qui efficere possit, ut si cuidam aliquid malum aut bonum videatur, idem mutet iudicium et de re longe aliud statuat, quam antea ei visum sit. Ita si aegrotans amarum sapore cognoscat, quod sano cuiquam suave videatur esse, hunc illo sapientiorem habendum esse, quamquam uterque verum sentiat. Moliendum vero esse putat, ut aegrotus alteram in partem convertatur, quoniam melior illa sit. Falso quidem opinari neminem, quod falsa opinio in eo, quod non sit, versari debeat; atqui id, quod non sit, omnino sentiri judicarique non posse. **) Ut

*) cf. Diogen. Laert. in Aristippo, l. II. c. 8. §. 91. ed. Lips.

**) Contra hanc sententiam accuratius Plato disputavit in *Sophista* cf. praes. B. II. 2. p. 228 sq. (Tauch. II. 70 sq.)

autem alii aliis meliorem sentiendi rationem sequantur, id evenire, quoniam aliqui naturā pejore sint animi habitu; cui si qui convenienter judicent, sapientis esse existimat, iis persuadere, ut meliorem in partem transeant. Id non modo in singulis hominibus, sed etiam in totis civitatibus valere. Nam his quoque saepe aliquid salutare videri, quod perniciosum sit; sed quoad cives illud tale judicent, quale ipsis appareat, salutare etiam iis esse, eosque verum sentire. Rhetoris autem esse, cives eo perducere, ut, quod salvare sit, id illis tale videatur et sit. Quod qui possint efficere, optime mereri tum de singulis hominibus, tum de totis civitatibus maximisque dignos esse prae- miis, licet se magis verum videre non profiteantur. Haec pro illo dicta sint: nos autem consideremus, num recte Protagoras dixerit, omnes homines verum videre. Homines ipsi, quod tam benigne largeque iis tribuit, respuunt; quum enim alios aliis in rebus peritia et consilio antecellere judicent, nonne scientiam et inscientiam esse aperte statuunt? Falso igitur non-nunquam judicare aliquos censem. Inde controversiae hominum; quae non existerent, nisi de rebus quibusdam dissidentirent, eosque, qui a se discrepaverint, errare arbitrarentur. Unde tandem, si Protagorae sententia vera sit, ad dijudicandas res ambiguas ratio veri sincerique judicii petatur? Quid confert, verum quempiam vidisse, si nemo fidem ei habet? Atqui aut Protagoras sibi non constat, aut non sensit, eo magis de suae sententiae veritate detrahi, ut ad extremum plane evanesceret et esse amplius desineret, quo plures ab ea dissidentirent. Se ipsum errare fateri debet, si discrepantium opiniones veras esse concedet.

Ne tota igitur Protagorae causa concidat, ejusdem sententiam quasi in angustius contrahentes, multa esse dicemus, quae qualia sint, universi sentiant, *) multa autem esse discenda et in his aliis alios magis sapere. Neque consentire cum eo possumus, rectum et honestum non naturâ certum esse et finitum, ideoque bona honestaque esse civitatibus, quae ipsis talia visa essent, dum eadem sententia starent. Sed id nunc quidem mittamus, istud nobis concedant, non aequa bene videre omnes civitates, quae utilia, salutaria et his contraria sint, sed haec alios homines scire, alios nescire. Haec enim, quae modo diximus, utilia, hisque similia cadunt sub unam formam, in quam omnia, quae non tam praesens, quam futurum tempus spectant, redigi debent. Quid ergo statuemus de rebus futuris? Num etiam earum notas homines arbitremur tenere, ut certe cognoscant, quae et quo modo quaeque sint eventura? **) An usu rerum edocti fabebimur, multo plures esse, qui omnia alia, quam quae evenerunt, conjecterint; quo intelligatur, rerum futurarum eventum eos solos praevidere posse, qui earum scientiam nacti sint? Hactenus de Protagora: restat, ut pauca disputemus contra socios ejusdem, Iones istos, ***) quorum sermo perpetuo fluit et labi-

*) cf. Phaedr. B. I. p. 73. (Tauth. VIII. p. 52.)

**) cf. Laches. B. I. P. 294. τι δαι; σύ ήμιν, ὡς Νικία ξυμφῆς περὶ τῶν αὐτῶν τὴν αὐτὴν ἐπιστήμην καὶ ἐσομένων καὶ γεγονότων ἐπαιὲν; (T. IV. p. 135 ad fin.)

***) cf. Cratyl. B. II. 2 p. 42. λέγει πον Ηράκλειτος ὅτι πάντα χωρεῖ καὶ οὐδὲν μένει καὶ ποταμὸν ὅογ̄ ἀπεικάζων τὰ ὅντα λέγει ως δἰς ἐς τὸν αὐτὸν ποταμὸν οὐκ ἀν εὑρεῖται. (Γ. II. 262.)

tur ac nullibi insistit. Auctoritati eorum cedere non licet: obstant enim Melissus, *) Parmenides, alii; revocant omnes, qui rerum universitatem unam esse contendunt, eamque in semet ipsa consistere neque omnino moveri, quod spatium non haberet, in quo moveretur. Tanta igitur summorum virorum discrepantia utraque sententia accurate esset excutienda: nos brevius rem transigemus: pauca contra eos profere-
mus, qui omnia fluere continenter et labi statuunt, Parmenidem autem aliosque, qui universum stare confir-
mant, silentio hīc quidem praeteribimus. Iam supra monuimus duo genera esse motionis, quorum alterum mutatio, alterum proprio nomine motus nominaretur.
Ergo qui omnia moveri censeat, si sibi constare velit,
utroque motionis genere omnia moveri nihilque prorsus in eodem statu manere, sed quovis temporis mo-
mento mutari aliudque fieri statuet. Hac autem ratione omnes rerum qualitates tolluntur, cum nihil designari,
nihil definiri, eademque res aequae recte talis esse et
non esse dici possit. Pari modo etiam videns aliquis
non videre, audiens non audire dicetur. Atqui sensi-
bus percipere et scire idem valere contendunt, conce-
dent igitur, scientiam inscientiae similem esse et aequa-
lem: quod absurdum est. Sed satis de illis: nunc per-
sequamur id, quod in hac disputatione nobis propo-
suimus.

Consideremus igitur prae omnibus, parum recte dic-
tum esse, nos sensibus cognoscere. Quum enim,

*) Ἐδόκει δὲ αὐτῷ τὸ πᾶν ἀπειρον εἶναι καὶ ἀναλλοίωτον καὶ
ἀκίνητον καὶ ἔν, ὁμοιον ἔαντῷ καὶ πλήρες. Κίνησίν τε
μὴ εἶναι, δοκεῖν δὲ εἶναι etc. vide Diogen. Laert. l. IX.
c. 4.

quaecunque cogitamus, sentimus, videmus, ad unum aliquod referantur, quem animum sive mentem nominamus; animum esse intelligimus, qui judicet, non sensus, qui tanquam instrumenta sunt videndi, audiendi que. Per sensus igitur, non sensibus nos cognoscere dicemus. Dein omnia, quae in sensus cadunt, ad corpora pertinent, quorum qualitates singulae singulis sensibus percipiuntur, ut nunquam sensibus totum aliquid comprehendamus, sed singulas modo partes alicujus rei cernamus. Quae communia sint, quae diversa, quae similia, quae dissimilia et caetera, quae conclusionibus rationis et rerum comparatione intelliguntur, sensus nullo modo docere possunt. Atqui haec ipsa sunt, quae veram rerum vim aperiant, qua cognita existit illud, quod scire nominamus. Patet igitur, scientiam non in sensibus esse, sed sola in mentis agitatione versari. Agitatio mentis vero est cogitatio, a qua opinari judicareque nascitur. Quaeritur itaque, utrum quodvis an verum tantummodo judicium scientia nominari possit. Quae quaestio quum tota sit de judicio, ad vim ejusdem explicandam juabit inquirere, num animus natura sit ita comparatus, ut falso judicet, et quemadmodum possit in judicii errorem induci. Quod si perspectum fuerit, facilius verum judicium, utrum sit scientia, annon, decernemus. Nam quodvis judicium scientiam non esse, quis non videat? Quaeramus itaque, quibus in rebus falsum judicium esse possit. Quoniam in rebus, quae aut noscuntur plane, aut ignorantur; deinde in iis, quae sunt aut non sunt, falso judicio locus non est, restat, ut aliquis ipsa rerum judicia confundendo in errorem inducatur. At id ipsum, nisi cogitando judicandoque

fieri nequit. Mens enim res, quartum iudicia confundat, cogitatione amplecti debet. Cogitat autem animus, si secum quasi colloquitur, *) tum ait, negat, donec acquiescat in aliqua sententia, quod statuere sive iudicare vocamus. Quis ergo unquam res, quia mente et iudicio comprehendenter, confundet, ut, quod ipse pulchrum iudicaverit, idem turpe esse dicat? Id ne insanus quidem. Unde igitur falso iudicare? Retractemus illud, quod fieri posse supra negavimus, scire nempe eundem et nescire simul; immutataque paullum sententia statuamus, discendo fieri posse, ut, quod ante nesciverit aliquis, idem post cognoscatur. Est enim pars animi humani, quam memoriam appellamus, in qua velut in cera rerum imagines et simulacra quaedam imprimuntur; quae animi pars si bona est atque integra illas similitudines rerum et quasi notas accurate expressas tenet, ut facile res ipsas recordemur. Sin imagines delentur, aut plane non imprimuntur, res vel obliviscimur, vel prorsus nescimus. Quod quum ita sit, pervestigemus primum, quibus sub conditionibus perperam iudicare non liceat, deinde quando id fieri possit. Tria distinguimus: noscere, rerum simulacra in animo expressa habere, et sensibus cernere: quae si universa in rebus iudicandis nobis praesto sunt, iudicia confundere atque errare nequaquam possumus. Pariter ubi haec penitus nobis desunt, omni de rebus iudicandi facultate ademta, nec falso iudicare licet. Neque tum iudicium a vero aber-

*) cf. Sophist. Bekk. II. 2, p. 230 et 231. (Tachn. II.
p. 71.)

rare potest, quum in rebus judicandis e tribus illis, quae supra commemoravimus, unum aut duo deficiunt, sed ita, ut, si quod eorum in alteris rebus deficiat, idem desit etiam in alteris. Verum autem, etiamsi non omnia in utraque parte exaequata sint, locus tamē falso judicio non erit, modo ad alteras rerum judicandarum id accedat, quod differentiam rerum satis manifestet. In his omnibus igitur fieri nequit, ut judicia confundamus i. e. falso judicemus. Quae hīc communiter proposuimus, facile intelligentur, si separatim ea considerantur. Decem itaque sunt conditiones, sub quibus error judicij non admittitur: restant tres, sub quibus fieri potest, ut aliquis falso judicet. Si quis nempe id, quod scit, cum alio quodam, quod pariter scit et cummaxime videt; aut cum eo, quod nescit quidem, sed cernit; sive, quod videt et scit, cum eo, quod aequē scit videtque, confundat, imaginibus rerum commutatis in errorem vel falsam opinionem inducitur. Id iis, quorum ingenium sollers est et magnum, quo facile rerum simulacra recipient et quasi disponant, raro evenit; frequentius contra hominibus tardiore ingenio minutoque animo, in quibus cera illa asperior duriorque est aut justo mollior, ut imagines rerum incondite et obscure imprimantur, vel impressae aliis affluentibus facile expellantur. Quod si simulacra rerum animo non bene concepta sunt, homines his confusis res ipsas commutant, tribuuntque alteris, quae in alteras cadunt, unde hoc ipsum, quod falso judicare finimus, proficiscitur. Verumtamen ne sic quidem res absoluta est: obstant quaedam huic falsi judicij definitioni; valeret fortasse, si de rebus externis solum loqueremur: at, nonne etiam in iis in-

terdum erramus, quae sola mente comprehenduntur nobisque quasi insita sunt? Nonne in numeris id saepe evenit? Quod quum ita sit; si illam definitionem falsi iudicii teneamus, consequitur, ut sciat aliquis simul et nesciat: quod supra negavimus. Undique igitur rei explanandae difficultate impliciti audeamus aliquid, et ut viam nobis muniamus, investigemus, quid sit scire. Plerique scire sicut sint esse, scientiam habere: nos accuratius, scientiam possidere, dicemus: multa enim aliquis possideat, quin habeat eadem: nam habere est re aliqua uti. Sed liceat nobis, ut id, quod volumus, magis efficiatur perspicuum, tale quid fingere. Sit quasi cella columbaria in animo nostro exstructa, in qua pro columbis cognitiones circumvolant vaganturque: aliae sociatae, aliae separatae, aliae paucis adjunctae sint, aliae singulae huc illuc ferantur. Hoc igitur columbare, in puerili aetate vacuum, paulatim impletur cognitionibus, quas qui possidet, eundem vulgo dicimus scire. Cognitiones autem comparantur vel discendo vel meditando et inveniendo. Quas postquam nobis comparavimus, saepe accidit, ut quaerentibus nobis non statim promtæ atque paratae sint. Ab integro itaque eas excutientes prehendere aliquam earum tentamus, quam si nacti fuerimus, vere judicare dicimur; sin vero perperam prehendentes omnes alias praeter eam, quam voluimus, ceperimus, errare seu falso judicare existimamur. Quod si ita sit, eo, quo minime volumus, iterum revolvemur: fatendum enim nobis erit, scire quempiam et nescire eundem simul quodam modo posse, et eo ipso, quod scire nominamus, in errorem nos induci; quod quam absurdum sit, quisque sentiet. Corruit igitur tota, quam

nunc dedimus, falsi judicij definitio. Insulsius vero esset, si quis sumeret, non omnes, quae in animo continerentur, esse cognitiones, sed aliquid his contrarium inter eas versari, ut, quum illas capere vellamus, id prehendentes falso judicaremus. At multum abest, ut homines, in quibus erraverint, ea se putent nescire, ut potius haec ipsa scire se arbitrentur. Nunquam ergo cognitioni contrarium aliquid, sed hanc ipsam prehendisse sibi videbuntur. Itaque haec ratio ad sublevandam rei difficultatem nihil facit, neque ea, quam supra proposuimus, explicatio scientiae non laborat. Posuimus enim, scientiam esse verum judicium: atqui multa sunt, quae non perspecta rerum vi atque natura, sed persuasi judicemus; ut in judiciis prae-
sertim solet, ubi causarum patroni omni modo judi-
ces ad suam sententiam adducere student non docen-
do, sed persuadendo, ita ut judices, licet veram cau-
sae rationem nesciant, vere tamen judicantes, modo
causarum patroni munus suum recte justeque executi
fuerint, decernant. Reliquum est, ut illos adsciscamus,
qui scientiam verum esse judicium censeant, junctum
cum ratione sive explicatione. Idemque arbitrantur,
elementa omnium rerum, quoniam essent naturâ sim-
plicia, definitione explicare non posse, sed nominari
tantum: quae autem res ex illis essent quasi contextae
et compositae, earum vim esse multiplicem, eoque pos-
se definiri explicarique. Sic elementa linguae, literas
scilicet, designari posse, definiri non posse: in eis
autem sermonis partibus, quae ex his compositae es-
sent, explicandi facultatem dari. Elementa igitur om-
nium rerum cerni quidem, sed non posse definiri ne-
que intelligi: comprehensiones autem et cognosci et

explicari et vere judicari. Qui verum judicium mente concepisset, sed absque ratione, eum vere quidem judicare, non tamen scire, quod ei unice esset tri-
buendum, qui vero judicio rationem adjungere calle-
ret. Non inficias imus, hanc sententiam primo ad-
spectu nobis arridere, sed sunt in ea quaedam, quae
nos offendunt et prohibent, quomodo ei consentiamur.
Nam ut vere dictum sit, in elementis explicationi nul-
lum esse locum, num ea ne intelligi quidem posse
existimemus? At duo queunt omnino sumi; compre-
hensionem nimirum aut constare ex elementis aut esse
vim quandam ab his plane diversam. Ergo si constat
ex elementis, qui illam intellexerit, etiam haec intelli-
gat, necesse erit, quippe quae partes sint totius, quod
comprehensio conficit. Sin comprehensio alia quaedam
vis sit, aut negant, ei partes esse, aut tota eorum
causa concidet. Nam si partes habet, quum nequeant
nonnisi elementa esse, prius haec, quam totum ipsum,
quod conficiunt, cognosci intelligique debent. Quod
si negant, comprehensionem ex partibus constare, tum
vero inexplicabilia dicunt: coguntur enim concedere,
comprehensionem esse individuam, includique eandem
in speciem atque ipsa elementa, itaque non magis,
quam haec, eam posse cognosci. Quin, si, quod ipsi
in discendis literis experti sumus, respiciamus, elemen-
torum cognitionem et faciliorem esse et multo magis
ad scientiam comparandam conferre videbimus. Expli-
candi autem tres rationes sunt: una, qua omnia ani-
mi sensa et cogitata cum aliis voce per nomina et
verba communicamus; quod omnes faciunt, sive vere
sive falso judicant: altera, qua partes alicujus rei ex-
ponimus, non omnes quidem, sed quas cum aliis com-

munes habeat: hic verum judicium esse potest, scientia non item. Duae hae rationes explicandi sunt, altera quasi *imago rei* voce expressa, altera via per partes ad genus: quam autem hoc loco dicimus, tertia est ratio, quae omnes rei alicujus notas et proprietates complectitur et prima ejusdem elementa docet. Atque profecto si quis alius, hic scire videtur, qui, cognitis omnibus, non communibus illis, sed propriis rei partibus, eam ab aliis discernat; quo omnis perturbatio errorque mentis in cognoscendis rebus tollatur. Verum autem id ipsum est *scire*, eoque ipso scientia differt a vero *judicio*, cui ratio nondum adhibita est. Qui scientiam ergo sic definiunt, ut ea verum sit *judicium*, junctum cum explicatione justa, qua res aliqua a ceteris bene distinguatur, in orbem rem revolvunt definientes, scientiam esse verum *judicium* junctum cum scientia.

Hac via quamvis longis ambagibus Plato, — nam tempus jam est, nosmet ipsos filum dissertationis excipere — exploravit, scientiam neque in sensibus, neque in vero *judicio* positam esse; ne tum quidem, quum ad verum *judicium* ratio seu explicatio esset adjuncta, ejus vim esse recte explanatam. Num Plato rem integrum plane reliquit? Immo declaravit, quid ipse de scientia sentiret. Sed pauca mihi ante monenda sunt, quam locum, qui nostro dialogo lumen affert, proponam. Statui enim in secunda dissertationis meae parte de vi atque notione scientiae loqui, qualem Plato eam definierit. Id vero ita agam, non ut doceam, sed ut moneam, quae puto ad hanc rem dilucidandam plurimum conferre. Nam accuratam et subtilem hujus rei explanationem volumen poscere, quis non vi-

deat? Quamquam vero magnam oneris partem hoc modo deposui, attamen vehementer me perturbari fateor contemplantem, quam magna restet disserendi copia, et quae sit rei explicandae difficultas. Accedit, ut, quoniam paucis hīc quidem rem tractare me oportet, ea mihi ita temperanda sit, ut brevitate intelligentiae non officiam. Quare si minus praestitero id, quod volui, veniam a justis rei existimatoribus me impetraturum esse spero. Quod autem in hac re explicanda omnes ferme praetermiseric dialogos, qui numerosi purii essent an genuini, in controversiam a doctis viri vocati sunt, id quidem a nemine reprehensum iri existimo: propriae enim est quaestionis, nunc aliud ago. Quemadmodum autem qui singulas corporis partes vult bene cognoscere, totum corpus intueri ejusque formam atque figuram animo concipere debet; sic etiam in Platonis disciplina quum omnia tam apta et coagmentata sint, ut corpus quasi conforment, partem aliquam ejusdem nunquam bene intelliges, nisi totam rationem et formam conspiceris, et, si non omnes partes, lineamenta tamen cognoveris. Nullus itaque mirabitur, quod quum locuturum me esse pollicitus sim de scientia ex mente Platonis, cumulatius id jam augeam. Ratio enim rei tractandae id postulat: non licenter vero evagabor, sed intra justum modum me coercebo.

Plato censuit humanum animum originem a Deo traxisse *), quamquam non liquet, num a Deo ipso

*) cf. Timaeus B. III. 2. p. 45. sqq. (T. VII. p. 31. sqq.)
et Phileb. B. II. 5. p. 171. cf. etiam de Republ. I. X.
ad. extr. ὅπῃ μέντοι καὶ ὅπως (ψυχὴ) εἰς τὸ σῶμα ἀφί-
κούτο, οὐκ εἰδέναιε etc.

formatum, an partem animae mundi eum esse statuerit. A Deo igitur oriundus et cum universa rerum natura cognatus prius *), quam hoc corpore obvolveretur, omnia conspexit, et quae hac in terra sunt, et coelestia quaeque ac supera, neque ullum est, quod non cognoverit. Omnium rerum itaque animus reminisci potest **), quippe qui eas jam ante habuerit perceptas. Reminisci autem homines discere vocant, quod re vera nihil aliud est, quam animum interrogando inquirendoque excutere. Hac enim ratione unum aliquid si recordata est ***) anima, opiniones judiciaque, quae superiore tempore concepit, primum velut somnia moventur †) excitanturque; deinde continuata meditatione illarum rerum scientia recuperatur. Verum autem Plato ipse non dissimulat, hanc sententiam non certis rationibus argui posse, sed magis ad mores omnemque vitam conformandam esse accommodatam. Omnis itaque scientia nascitur ab aeternis illis formis, quas ἴδεας Plato appellavit, quaeque non extra animum sunt, sed ei ingeneratae. Quum autem summa veritas, bonitas et pulchritudo in ipso Deo sit, puras has species et incontaminatas spectarunt animae nondum hoc corpore circumdatae et quasi vestitae. Qui vero fieret, ut, si omnes animae eas conspexerint, aliae aliis minus easdem reminiscerentur, aut cur non om-

*) ὅτε γὰρ τῆς φύσεως ἀπάσης συγγένους οὐσίας. Mnnon. B. II. 1. p. 349. (T. III. 245.)

**) cf. Phaed. B. II. 3. pag. 37 avv. Σκόπει δὴ. (Tauchn. I. 127.)

***) vid. Meno, ibid.

†) Meno. B. p. 558 ad fin. (Tauchn. p. 251 ad extr. sq.)

nes pariter eas adspexerint, antequam in corpus mi-
grassent eodemque depravatae essent, id nescio an
haud explicare conatus sit, nisi fortasse suam de hac
re sententiam illo loco prodiderit, quo Deum ipsum*)
dicit varie et diverse finxisse ingenia hominum, quum
statim ab ortu eorum meliorem aut deteriorem indo-
lem singulis tribuisse. Hoc modo Noster animae non
modo immortalitatem, sed etiam vitam superiorem vin-
dicavit. Quum omnes vero cognitiones manent a recor-
datione, cui opponitur obliisci i. e. non amplius
reminisci**), non mirum est, quempiam id, quod
nesciat, posse cognoscere, si recta ratione animum
investiget et exquirat. Hac ratione, qua discentis ani-
mo non nova discendi copia suggestur***), sed, quae
in eo jam sunt, rerum notitiae evocantur eliciunturque,
omnis continetur institutio atque doctrina. Quod quum
Plato decrevisset, hac potissimum philosophandi via
usus est, qua totam ferme rationem suam ad formam
dialogorum redigeret. Non doctoris partes in disqui-
rendis rebus suscepit, sed mentem auditoris seu collo-
quentis ipsius interrogando impellere et ad id, de quo
quaereretur, cognoscendum revocare tentabat. Id au-
tem nullo modo assequi poterat, nisi si ad captum
eorum, quibuscum colloqueretur, interrogationes acco-
modaret; nec verisimile est, ut jam Schleiermacherus,
vir clariss., animadvertisit, Platonem discipulis suis philoso-
phiam alio modo tradidisse: quod enim ipse de doc-

*) Vide de rep. III. l. B. p. 160 a verb. $\pi\alpha\nu\nu$, $\eta\nu \delta\varepsilon\gamma\omega$,
 $\varepsilon\nu\kappa\sigma\tau\omega\varsigma$ etc. (Tauchn. pag. 121 in med.)

**) v. Sympos. B. II. 2. p. 458. (T. VII. 260.)

***) cf. de Republ. VII. B. p. 353. ad. init. (T. 251 ad fin.)

trina sensit, id altius haesit*) in ejusdem animo, quam ut ab hac via i. e. a semet ipso discederet. Quo magis miror, aliquos extitisse, qui Platonem hanc ob rem vituperarint, qui si satis circumspexissent, minus iniqui fuissent. Sed occurrit mihi etiam alia reprehensio, quam Platoni fictiones poeticae, quas graece *μύθοις* vocant, dialogis passim intextae contraxerunt. Quamquam haec res non instituti sermonis mei est, attamen ab eo non plane aliena mihi esse videtur. Tota enim labat Platonis philosophia, si causa illorum hominum obtineat. Perperam nempe conatum esse Platonem insimulant, poësin cum philosophia conjungere. At non vidisse eos existimo, quomodo fictiones istae — vocem quamvis invidiosam retinebo, donec melior mihi offeratur — accipienda sint. Jam in Phaedro Noster satis significavit, poëticam majus quidquam atque divinius esse, quam vulgo haberetur, sed homines hac arte abuti pessimisque imitationibus eam inquinare. Dialectica itaque ad majorem dignitatem et amplitudinem poësin provehere voluit, subjecitque ei res in vita humana longe gravissimas, quae quum arcte cohaereant cum philosophicis, quare poësin cum philosophia conglutinare non conaretur? Sed interiorem causam quaeramus. Quis non animadverterit, etiam res externas, quales in adspectum cadant, animo comprehendi non posse, quin in ipso cernentis animo earum forma et figura describatur atque delineetur? Sic etiam Plato, mea quidem opinione, quum de

*) cf. in primis Phaed. B. I. 96 et sq. praesert. a verbis.
Toῦτο γὰρ τῶν μαθόντων. (Tauchn. VIII. 67 sq.)

rebus, quas animum quondam intuitum esse censebat, ageret; quoniam notitiae rerum notas quidem communes, non formas earundem ob oculos ponunt, mira arte studuit tabulas illas, in quibus res superiore in vita animo conceptae quasi depictae essent, postquam oblivione paene extinctae obscurius animo obversarentur, nitidissimis coloribus reficere, ut eadem vi mentem hominum moverent, quam res externae exerce-rent in sensus. Haec vero ars, quae imagines rerum describit, est ipsa poësis, eaque, sed majore illa et graviore, usum esse Platonem videmus. Profecto equidem hac in re magnam hujus disciplinae virtutem agnosco, quod in adytum humanae indolis penetraverit, nec partem animi neglexerit, quam natura ita comparavit, ut, si assurgit altius et evolat, res nobis aperiat occultissimas. De hac re hactenus: redeo ad propositum meum. Plato itaque, ut supra monuimus, a recordatione nasci scientiam, posuit, docuitque rationem, qua revocari illa posset. Suscitatur autem et alitur recordandi facultas principio naturali quodam, amore. Animus enim formarum, quas quondam splendore suo lucentes adspexit, mirabili desiderio captus est, quod in optimis quibusque maxime viget. Ab hoc desiderio oritur studium veritatis atque virtutis. Ut autem bonum et verum una absolutissima pulchritudine continentur*), ita vis illa animi nostri move-tur in primis et cietur contemplatione rerum, quae

*) cf. Phileb. B. II. 3. p. 247. Νῦν δὴ παταπέψευγεν ἡμῖν
ἡ τάγαθοῦ δύναμις εἰς τὴν τοῦ καλοῦ φύσιν etc. (T. III.
224.) cf. etiam de Rep. I. II. B. p. 102. (Tauchn. p. 77
ad fin.)

similitudine quadam cum perfectissima pulchritudine junctae sunt. Quam animus res pulchras adspiciens quum recordetur, et maximo ejus contemplandae capitur desiderio, et, quo magis haec recordatio exsuscitatur, eo magis beatum se sentit, ita ut multo amore id persequatur, quod hanc recordationem, hoc desiderium excitaverit. Quo circa ejusmodi homo omnem operam omneque studium in pervestiganda boni verique natura collocat; tum vero quasi praegnans magnis atque excelsis cogitationibus sedulo quaerit, in quo deponere eas possit*). Si itaque nactus aliquem fuerit, cuius natura et indoles similitudinen cum perfectissima pulchritudine ostendit, nihil antiquius judicat, quam eum instituere et ad veritatis virtutisque studium convertere: turpe autem quodcumque maximopere fugit et aspernatur. Idem igitur principium naturae hominem et ad consecrandam sapientiam**) et ad erudientes aliorum animos impellit. Qui amor quum altiora petat, animum vehementer concitat, ut caelestia solum expetens, terrestria et caduca repudiet, idemque amor homines candida et vera amicitia conjungit, quae nec mutuis commodis***) nec fortuita quadam necessitudine effici potest, sed ab intimo sensu pectoris desiderio unius ideae imbuti proficiscitur†). Hujus

*) cf. Phaedr. B. I. 1. 101. praes. Sympos. B. II. 2 p. 435 pr. p. 439 extr. (T. VII. p. 257 et 261.)

**) cf. de Rep. l. III. 139 ferme ad ext. (T. p. 105.) et l. V. B. p. 264. (T. p. 199.) οὐκοῦν καὶ τὸν φιλόσοφον, σοφίας φήσομεν ἐπιθυμητὴν εἶναι, οὐ τῆς μὲν, τῆς δὲ οὐ, ἀλλὰ πάσῃς.

***) cf. Lysis.

†) Diog. Laert. in Aristipp. l. c. τὸν φιλον τῆς χρείας ἔνεσι αἰρετόν.

amoris causa nobis quaerenda est in immortalitatis cupiditate, qua omnia mortalia devincta sunt; propter quam omnes omnia moliuntur et agunt: alii autem falsa opinione decepti mortalia progignentes immortales se fore sperant: alii excellentioris ingenii, in quibus maxime recordatio illa viget, immortalia procreando immortalitatem nancisci student *): immortalia vero gignunt, quum animos aliorum veritate et justitia imbuunt. Hoc neglectis ceteris rebus unice agunt, qui vere et studiose philosophiae dediti sunt, eoque ceteris multum virtute praestant. Deus quidem sapientiam non expetit **), quoniam natura ejusdem undique expleta et absoluta est: sed etiam Dei dissimilimus quisque sapientiam non appetit, cuius cupiditate nemo occupatur, nisi qui meliore et divina propemodum indole praeditus sit. Ostendimus itaque, caput platonicae disciplinae esse scientiam, proficisci a recordatione, versari in ideis, naturali quadam appetitione elici, hanc moveri immortalitatis cupiditate, quae ipsa progigni debet anteactae vitae memoria. Hac memoria suscitata omnes res magis magisque collustrantur ac mens in judicando et cognoscendo ad veritatem dirigitur, neque amplius ex opinionis arbitrio pendet. Ex his jam colligi potest, quantum Plato in philosophia profecerit, quam acute in hujuscemodi rebus viderit, quam excelse senserit. Quid enim celsius, quid subtilius perpetuitate cogitari potest, quae animi humani actiones cogitationesque universas sublato dis-

*) Sympos. B. II. 2 p. 436 sq. (Tauchn. VII. sq.)

**) cf. Sympos. B. II. 2. p. 430 θεῶν οὐδεὶς φιλοσοφεῖ etc.
(T. p. 254.)

crimine temporum complectitur? Quod vero majus est; humanam animam cum Deo et cum universitate rerum conjunxit, ut; quibuscumque animae vis communis esset, ea, licet singulis proprietatibus different, in unum genus redigerentur. Sic instituta ratione facile patet, cur haec disciplina quanquam in rebus subtiliter arguteque tractandis, magnam partem etiam in oppugnandis refutandisque aliorum sententiis versabatur, utique tamen ad mores conformandos spectaret *). Quin Plato diserte docet, plus in bene recteque agendo operae pretiique esse ponendum **), quam in artium doctrinaeque studiis. In quo meminerimus, Platonem cum virtute scientiam ita junxisse, ut recte agendi rationem absque scientia ne nomine quidem virtutis dignam judicaret. Huic scientiae primas dedit: ceteras artes, neque immerito, ei posthabuit. Omnes si veri honestique formam et tanquam faciem cernerent, et ad eam mentem omnesque actiones dirigerent, vere judicarent recteque agerent. Quoniam vero non omnes animae illas species pariter adspexerunt et corpore nunc circumvolutae sunt, voluptate inescantur et pravis cupiditatibus impletae eas obliviscuntur et aberrant a veritate ac sapientia. Ita depravatae sectantur simulacra pro exemplaribus, falsas opiniones pro veritate, et totae ad ea, quae fiunt et mutantur, conversae, in errores inducuntur, ut ad extremum scientiam gravissimarum rerum penitus amittant. Sic plerique ho-

*) cf. Laches B. I. 1. p. 271. (T. IV. p. 120.)

**) cf. de Legib. I. VIII. B. p. 77. (Tauchn. 279) μηδὲ αὐτῶν ὅπόσοις ποίησιν μὲν καὶ μεῖσσαν ἵκανος πεπτημένοι εἰν αὐτοῖς εἰσι, καλὸν δὲ ἔργον καὶ ἴπιφανὲς μηδὲν δράσαντες πάποτε.

mines labuntur. Verum ne optimi quidem vim illarum formarum in hac vita cernunt. Ars ergo requiritur, qua eadem illustrentur et explicentur: est ipsa ars dialectica, quae mentem a sensibus avocat ad genera et species, ac falsis opinionibus discussis ad cognoscendam veritatem perducit. Omni enim veritatis judicio e sensibus sublato, scientiam ad id transtulit, quod vere esset perpetuoque idem, et sola mente conciperetur *). Genera enim et species vi sua similia sunt naturae animi nostri, quum ad ea, quae *άόρατα* i. e. non spectabilia sunt, pertineant. Animus igitur in hoc genere sibi cognato occupatus, et ab omni sensuum fraude tutus est, et semet ipsum explorat atque cognoscit. Quam ob rem dialecticen Noster phurimi aestimavit et tum quoque adhibendam esse censuit quum non appareret, quo quaestio aliqua abiret, quia ex hac exercitatione plurimum fructum animus perciperet. Tendit autem ejus dialectica duas in partes: adhibetur enim aut ad refellendas falsas opiniones, rerumque naturam subtiliter accurateque examinandam, aut se recipit in interiorem quasi animi partem et species aeternas, de quibus jam saepe diximus, enucleare conatur. Ita Plato et eas disciplinas oppugnabat, quae opiniones consecstantes omne conferrent studium ad investigandas res externas, tanquam in his scientiam acquirerent; et illis adversabatur, quae propius quidem ad ipsius rationem accederent, sed formulis uterentur non satis munitis, magisque acumen mentis

*) cf. Timaeus. B. III. 2. pag. 22. ad fin. (T. VII. p. 16.) et
ibid. B. pag. 63. (T. p. 46.) cf. Parmenides B. I. 2, 21. in
med. (T. VII. p. 161. ad init.)

exercerent, quam animos ad altiora erigerent. Quas controversias in primis ea de causa ciebat, ut opiniones falsas, quibus omnis vitae ratio perturbaretur, funditus everteret; quapropter tanta subtilitate, tanto ardore contra eos pugnabat, qui bonum cum voluptate confunderent, utile a justo separarent, divitias, honores, cetera ejusmodi tanquam fines bonorum praedicarent. Ut autem omnis virtus manat a scientia, ita omne peccatum ab errore et inscientia, praesertim a falsa opinione, qua quis inductus scire se putat, quod nescit *). Omni modo igitur hanc opinionem ex animis hominum evelendam esse monuit, quippe quae maxime virtuti et scientiae obstaret **), diligenterque notavit ejusdem vim et effectum, qui praecipue morum depravatione insignitur. Veritatis enim exosi ejusmodi homines speciem captant; sui amantes aliorum salutem negligunt; omnia sibi arrogant, nihil aliis tribuunt, inanem rerum terrestrialium splendorem expectunt, nihil celsius atque divinus sentiunt. Plato virtutis originem quum in eodem naturali principio, a quo scientia manat, poneret eamque absque scientia esse negaret, et virtutis excellentiae consuluit, quo neque caecus animi impetus haberetur neque exemplis, poenis aut ulla extrinsecus petita necessitate ***) effici videretur, et integrum recte agendi libertatem constituit. Dubitationem autem moventibus, an fieri posset, ut si virtus penderet a veri cognitione, tot homines agerent contra id, quod rectum probumque judicassent,

*) vid. Protagor.

**) cf. Sophist. B. II. 2. p. 155. *ιομιζοντες γαρ* (Tauchn. II. p. 22)

***) cf. Protag. B. I. 1. p. 128 sq. (T. II. p. 159.)

ipse satis occurrit. Diserte enim hos homines cognosse veritatem negat: scire se quidem eos opinari, sed scientiae expertes esse: errore judicii induci, ut male facerent. Certe nemo ejus sententiae, virtutem a scientia nasci, repugnabit, qui consideraverit, omnes actiones, quas nomine virtutis complectimur, in unum genus includi, omnesque unius scientiae communione hoc nomine dignas esse. Quod ut obtineret, Plato demonstravit, si virtus cum ipsa voluptate confundetur *), aut cum ratione res, quae vulgo bona ducerentur, optime sibi comparandi commutaretur, scientiam utique desiderari, quae quidem judicaret, quid eligendum esset, quid fugiendum.

His in universum observatis subtilius nunc agam, et quae supra praetermissi, in medium proferam; quae obiter attigi, paulo accuratius exponam, ut magis perspicuum fiat, qualis haec singularis scientia sit, qua in animi nostri parte versetur, quid valeat. In omnibus rebus, quae in aspectum cadunt, duo distinguuntur, rerum vis scilicet et ea, quae huic accident: illa est ac permanet, haec fiunt mutanturque. Veram igitur rerum naturam sensus non manifestant, ideoque nec veritatem nobis praebere possunt nec scientiam. Quam si homini concessum sit obtainere, ex his hauriatur necesse, quae nobis vim rerum ipsam patefiant. Quod fit, ut Plato quidem censuit, principiis rerum, quibus natura nos subornavit: haec enim una mente agitante explicata **) — quod ipsum studium est phi-

*) vid. Protag. B. p. 231 sqq. (Tauch. p. 201 sqq.)

**) Phaedon. B. II, 3. p. 56. (Tauchn. I, p. 142.) a vv. πι-
στεύειν etc.

losophiae — res quales vere sint, nobis enucleant. Haec autem genera et species veritatem suam petunt a formis seu ideis, quae summum locum tenent et, ut ita dicam, medulla animi nostri sunt: utraque ita differunt, ut illa applicentur ad rerum naturam investigandam serviantque illustrandis ipsis ideis, ut ex iis rerum similitudines et dissimilitudines judicentur; ideae autem non ad res referantur, sed dominantur ipsis generibus et totam animi naturam quasi complectentes cogitandi agendique causam contineant. Absolutae vero et perfectae sunt in Deo in eodemque sua initia suaque fundamenta habent. Scire igitur est cognoscere formas, quae nobis ingeneratae sunt i. e. animi naturam sive semet ipsum cognoscere. Idcirco sui cognitionem scientiam Plato nominavit: tota enim animi natura explorata compertum nobis erit, quid sciamus, quid non; omnesque falsae opiniones judiciave tolluntur. Quoniam porro scientia totum hominem occupat et ut sanguis per corporis venas, ita per omnes ipsa animi partes se diffundit, omnes cogitationes nostras et actiones nunquam non temperat atque gubernat. Eademque quum in aeternis illis ideis versetur et quasi insistat, hae autem in summo bono, quo et justum ipsum et pulchrum continentur, constitutae sint, animum ad id contemplandum ab aliis rebus avocat in eoque acquiescit. Quo circa Plato scientiam cognitionem summi boni definivit *). Ut vero Deum tempori non obnoxium fecit, ita in scientia quoque, quoniam in aeternis et immutabilibus formis occupata est, omne temporis discrimen sustulit, ut praeteritum, pree-

*) cf. Euthyd. B. II, 1. p. 415 sq. (Tauchn. II. p. 98.) et de Republ. I. VII. B. 358. (T. 270.)

sens futurumque tempus illa comprehendenderet *). Verum autem etiam notiones communes, quas mens conceptas habet, genera illa et species, quia rerum vim spectant animumque fraude sensuum liberant **), scientiam nobis praebent. Num itaque scientia multiplex est? Imo una eademque: una scientiae vis est, sed tum majora tum minora tractat: si verum, bonum, pulchrum contemplatur, majora agit: si in generibus versatur, ad minora descendit: sed naturam suam tenet: semper enim id sibi proponit perscrutandum, quod vere est ac perpetuitati est colligatum. Omnes porro rerum cognitiones ei quidem sunt cognatae, multum tamen distant ab ea: referuntur enim ad res ipsas: scientia autem, his libera atque soluta, scientia est omnium cognitionum et suimet ipsius. Plato Socratem quidem in Charmide ***), ubi de hac re disserentem eum induxit, dubitare fecit, num talis scientia omnino esset, et, si esset, num ea homini conduceret; sed simul innuit, esse fortasse aliquid, quod vim suam non ab aliis, ad quae referretur, sed a semet ipso sumeret. In quo nos nihil offendimur, quum de conscientia cogitemus, in qua omnia cogitata et sensa omnesque animi motus conveniunt. Ceterum non praetermittendus nobis est locus †), ubi Plato de duplice ratione, qua omnes artes tractari possent, disputavit. Ibi enim ad majorem dignitatem illas extolli dicit, si scientia eas moderaretur. Ad quod si adde-

*) cf. Charmides ed. B. pag. 343. (T. pag. 100 ad fin.)

**) cf. Phaedon B. II. 3. p. 49. a vv. ὅτι η ψυχή. (Tauchn. I. p. 156.)

***) vid. Charm. B. I. 1. p. 328. (T. IV. pag. 89 sq.)

†) cf. Phileb. B. II. 3. p. 228 sqq. (T. III. p. 211 sq.)

mus, quod Plato, quum suam disciplinam ad usus humanos accommodaret, artes et literarum doctrinam scientiae adjunxerit, ita tamen, ut, quae lumen ceteris afferret, eadem iis etiam praeesset, jam videbimus, philosophicam intelligi scientiam, quae ultimas sive extremas rationes nostris judiciis omnique mentis agitationi suppeditet. Est haec regia illa scientia *), cui ceterae artes materiem quasi subministrant, quae quo modo sit tractanda, ipsa edocet. Ne vero, quum philosophicam scientiam dico, aliquis eam cum ratione aliqua philosophica, quam systema vulgo nominant, confundat: id plane, ut jam satis declarasse mihi videor, a mente Platonis abhorret: monere tantum volui, hoc nomine designari posse illam scientiam, quod principium sit et fundamentum omnis vere philosophandi rationis. Aliud autem est disciplina aliqua, aliud id, a quo proficiuntur, in quo inhaerere debet, qui in lagare veritatem velit. Quum omnis igitur philosophia, quae quidem hoc nomine digna sit, hanc scientiam assidue pertractare debeat, recte ad scientiam ipsam hoc nomen transferri potest; confundi autem cum aliqua doctrina scientia non potest. Sed quaerat fortasse aliquis, quo modo Plato ceteras artes scientiae, si ea in illo tantum versaretur, quod perpetuo idem eodemque modo permaneret, conjungere potuerit, praesertim quum ipse toutes reliquias artes nullo in numero habendas esse dixisset. At caveamus, ne Platonem in hac re sibi non constituisse arbitremur. Quem ad modum enim idem dubitationem dixit initium esse philosophiae, non ut philosophus semper haereret et fluctuaret, sed ut res

*) cf. Euthyd. B. II. 1. p. 450. (Tauch. II. p. 110. et 111.)

anquireret, nec desidia atque inertia in vulgaribus opinionibus detentus ab investigatione veritatis abhorreret, ita etiam accuratissime hanc amplissimam scientiam se-junxit a ceteris artibus et disciplinis, ne ejus splendor obscuraretur. Quod quum effecisset et jam majora moliretur, ut conderet illam divinam rem publicam, ut philosopharetur de rerum universitate, ut leges ferret, tum vero paulo inclinavit et aliis cognitionibus locum suum concessit *), quin de magnificentia scientiae aliquid detraheret. Verum enim vero id in primis philosophia debet Socrati, quod primus ille monuit, naturam animi p̄ae omnibus esse explorandam; quem Plato secutus, qua potuit diligentia, perscrutatus est animum, ut reperiret, quae ejusdem partes et facultates; quae prima essent naturae. Animum humanum itaque in tres partes divisit **), quarum ratio primum, ira secundum, libido tertium locum tenet: altera animi pars rationi contra furorem tertiae opitulatur, honesta sequitur, sed a ratione temperanda est. Sunt porro in homine duo impetus naturae, qui eum regunt ducentque: alter insita quaedam voluptatis cupiditas, alter acquisita opinio, quae ad virtutem se applicat, eamque adipisci studet. Haec opinio luctatur cum illa appetitione voluptatis, tum vincit, tum superatur, neque sustinet impetum multiplicis ferique animi appetitus, nisi a ratione adjuvatur ***). Quisque videbit, utraque appetitio, quam Plato constituit, unde nascatur.

*) cf. Phileb. B. II. 3. 242. (T. III. 220. a vv. *βούλει δῆτα* etc.)

**) cf. Phaedr. B. I. 1. p. 39 ad finem et sq. (T. VIII. pag. 28.)

***) cf. Phaedr. B. pag. 54 et sq. (Tauchn. VIII. p. 39.)

Illa opinio, aut, si magis placet, judicium illud profiscitur a mente: appetitus voluptatis originem dicit a tertia parte, quam libidinem diximus. Ut genera et species ab ideis differunt, quamquam quadam inter se juncta sunt similitudine et cognatione, ita mens et ratio, quamvis simillimae animi partes, ex Platonis sententia confundi non debent. Menti enim insunt notitiae seu principia rerum, quae firmamentum veritatis suae desiderant ac requirunt extremas rationes, praeter quas aliae neque peti possunt neque reperiuntur. Hae ipsae sunt ideae, quas ratio nostra continet. Quum autem et ratione et mente animus per se agitur, Plato scientiam ac perscientiam uno nomine *νοήσεως* i. e. intelligentiae complexus est, iisque *πίστιν*, quam nos probabilitatem, si placet, appellabimus, et *εἰναοῖς* i. e. conjecturam opposuit *). Probabilitatem ergo et conjecturam, quoniam similitudinem veritatis captant, vim ejusdem ignorant, in unum genus Noster inclusit, quod *δόξαν* ille nominavit, nos judicium sive opinionem vocamus **). Scientia igitur et perscientia in eo versantur, quod est; opinio autem ad illa refertur, quae fiunt et mutantur. Quid autem interest inter mentis judicium — nam haec quoque judicat atque decernit — et istud, quod nomine *δόξης* Plato notavit? Duplex judiciorum genus posuisse Plato mihi videtur. Mens enim per se agens resque ad genera sibi insita redigens judicat quidem, sed ju-
dicio suo rationem sive explicationem adjungit. Quum

*) cf. de Republ. I. VI. B. p. 524 ad f. et I. VII. p. 362
ab init. (Tauchn. p. 245 et p. 275.)

**) Timaeus. B. III. 2. pag. 22 ad extr.

vero animus cogitat aliquid et statuit, id autem non per semet ipsum agit, sed sensus quasi in auxilium vocat, tum existit medium quoddam, quod cum mente et sensu conjunctum est, neque vim simplicem habet, sed ex dissimilibus mixtam. Haec est ea ipsa ḍόξα sive opinio, quae modo vera modo falsa esse potest, puram atque nudam veritatem nunquam cernit, quia sensibus ad ea alligatur, in quibus nulla veritas est. Eandem ob causam illa quoque acquisita opinio, cuius supra mentionem fecimus, honestum quidem appetit: quia vero sensibus devincta est neque honesti naturam perspectam habet, fluctuat huc illuc, nisi ratio ei succurrit. Propter similitudinem vero, quae est judicio cum scientia, Plato maximopere studuit, illius naturam ita perspicuam reddere, ut prorsus a scientia diversa atque separata appareret. Quemadmodum autem hanc scientiam penitus ab aliis cognitionibus ac disciplinis primum sejunxit, easque abjecit, ut editiore in loco illam collocaret, deinde iterum jacentes erexit et scientiae eas conjunxit, atque, quam plane proculcaverat, voluptatem ipsam in duo partiens genera, quorum alterum melius in discendo et meditando inest, alterum humilia sordidaque sectatur; illud quidem in societatem scientiae et artium ad constituendam beatam vitam recepit, alterum nequaquam admisit *); eodem modo opinionem acriter urgens scientiae vim integrissimam servare voluit; quod quum confecisse sibi videretur, verum judicium juste quidem existimavit, sed multum a scientia eam distare, etiam atque etiam

*) vid. Philebum.

monuit. Sed afferamus Platonis verba *): Qui cognoscit, ait, aliquid cognoscat necesse est: nam illud, solum, quod absolute est, potest cognosci; quod non est, sciri omnino nequit. Si quid autem ejusmodi est, quod et sit et non sit, medium est inter utrumque illud: in eo, quod absolute est, deprehenditur scientia; in eo, quod non est, inscientia: medium ergo est opinio: scientia igitur et opinio vim habent dissimillimam. Fortius opponit scientiam judiciis alio loco **), ubi ea, si scientia essent destituta, turpia ferme omnia esse dicit; optima eorum esse caeca: si quae aliquid veri attingerent, accidere idem, quod caecis hominibus, qui forte fortuna interdum rectum ingrederentur tramitem. Ratio autem, a qua manat scientia, nihil corporei spectat, sed quod absolutissime est, continetque justum ipsum et pulchrum et bonum, intuetur ***). Non fugit Platonem, oppugnari posse doctrinam de ideis generibusque mente comprehensis, num illis veritas inesset; num rerum natura iis posset cognosci. Gravissimus de hac re extat locus in Parmenide †), quo, ut opinor, Plato arguit, scientiam non esse in illis rerum qualitatibus quaerendam, quae nec stabiles neque certae essent; deinde nisi concederetur, animum propter illam cum numine divino et rerum universitate cognationem rerum vim atque naturam jam ante, quam in vitam migrasset, perspectas

*) vid. de Republ. I. V. B. p. 267. (T. p. 202.)

**) vid. de Rep. I. VI. B. p. 515.: *Ti δέ; εἰπον οὐκ ἡσθησατο τὰς ἄνευ ἐπιστήμης δόξας, ὡς πᾶσαι αἰσχραὶ; ὅντις βέλτισται τυρκλαῖ etc.* (Tauchn. p. 238.)

***) cf. Phaedr. B. I. 1. p. 43. (T. VIII. 50.)

†) vid. B. I. 2. p. 10 — 54. (T. VII. 151 — 161.)

habere earumque quasi adumbratas intelligentias concepisse, nunquam, quales res essent, cognosci posse. Nam, si inter mentis notiones et res ipsas non necessaria quaedam conjunctio intercederet, sed utraeque per se essent, res tantummodo rebus respondere et quoad inter se compararentur, qualitates assumere; idemque valere de notionibus. Quod si ita esset, res non tales cognosci, quales essent, sed quales nobis cogitarentur. Denique cavere voluit, ne, quum omnes qualitates rebus ex communione illarum notitiarum tribui doceret, aliquis id sic acciperet, has notiones simile quid esse materiae aut rerum spectabilium, et extra mentem versari, et quasi corporeum quiddam ad res transferri posse. Sensit itaque, quam difficiles explicatus haberet doctrina de ideis et de ante animo conceptis rerum notitiis: sed idem vidit, his sublatis cogitandi facultatem funditus tolli. Qui enim, ait alio loco *), audiendi contemplandique cupidi pulchras quidem voices, colores, figurasy sectantur, speciem pulchri ipsius mente comprehendere nequeunt, illa esse statuunt, hoc autem esse negant, hi non vigiles, sed somniantes vitam degere videntur, quod simulacra pro veritate accipiunt **). Sed plerique tam hebetes sunt, ut hanc ne adspicere quidem possint: philosophantis autem ratio ***) hoc genus perquirit, in eo haeret, inhiabitat. At iudicium verum licet amplitudine a scientia supereatur, non minus tamen momenti habet ad recte agen-

*) de Republ. I. V. B. p. 265 et 266. (Tauchn. p. 201.)

**) cf. de Republ. I. V. B. 271. (T. pag. 205.)

***) cf. Sophist. B. II. 2. pag. 207 ad extr. et sq. (T. II. 57.)

dum *). Id concedit Plato: nihil ea differre, negat. Nam qui scientia utitur, semper recte agit; qui judicio, vacillat, ut modo bene, modo male agat. Verae enim opiniones quamdiu permanent, ipsae quidem bonaे sunt omniaque bene agunt; sed diu permanere nequeunt; brevi enim labuntur ex animo, ut haud magni aestimandae sint, donec rationis conclusione devinciantur **). Quicunque vere judicat, is veritatem rei quidem assequitur, neque plane eam ignorat, sed rationem exhibere non potest. Veritas autem, nisi penitus perspecta est, nunquam vim suam in animum exercebit, ut totam cogitandi agendique rationem moderetur. Hoc ipso utique praestat p̄ae opinione scientia, ut in animo dominetur et libidinem vincat, et dolorem, ceterasque animi perturbationes ***). Sic sibi constat Plato, quem tripertito animum divisisse supra commemoravimus. Rationem enim et iram et libidinem posuit: rationem perfectissimam animi partem pugnare cum libidine, iram rationi opem ferre censuit. Quam iram Plato h̄ic nominavit, nos conscientiae nomine designare solemus. Atque profecto conscientia efficacissima est in iis, qui nondum ad scientiam provecti sunt, sed immorantur veris opinionibus; auxilium irae non desideratur, ubi scientia totum hominis animum occupavit. Tum enim ea regnat et gubernat et hominem talem reddit, qualis ipsa est. Ita etiam ille locus in Gorgia †), qui multos offendit, intelligi de-

*) cf. Meno B II. 1. p. 385. *ἐπειδὴ τοινν* etc. (Tauchn. III. p. 271.)

**) ib. B. p. 383. et p. 384. (T. p. 270.)

***) cf. Protagor. B. I. 1. p. 229 ad extr. et sq. (T. II. p. 200.)

†) B. II. 1. pag. 51 ab init. (T. III. p. 21 med.)

bet, ubi disputat, cuius rei scientia aliquis sit institutus atque imbutus, talem eum esse, ut ex. gr. qui justa didicerit atque, quid justum sit, sciat, si ipse justus sit: quod nihil aliud est, quam quemlibet id exercere, quod didicerit et sciat; et pari modo, si quis adeptus sit illam amplissimam scientiam, ad hanc totam agendi rationem accommodet, necesse esse. Illis quidem consentire non possum, qui Platonem scientiam cum disciplina in arte quadam versante commutasse arbitrentur. Scientia igitur sola rationibus persuadet animo, neque in diversas partes eum trahi permittit *). Unde exoritur ille quasi concentus animi, quam *ἀρμονίαν* Plato nominavit, vera virtus, in qua est vita beata **). Quum vero summa perfectissima que scientia in Deo sit, omnis vitae beatitudo in similitudine cum Deo consistit. Dei itaque similes scientia reddimur. Ad tantam excellentiam pervenire, admodum paucis hominibus contingit. Hi Dei similes viri iidem sunt, qui obtinent regiam illam scientiam, qui, Platone censente, soli digni sunt, ut rebus publicis praesint ***), iidemque summa libertate utuntur. Quiunque opinionibus impliciti tenentur, legibus et institutis adstricti sunt, iisque obtemperantes nihil prorsus movere debent. Regia autem scientia instructi, nullius dominationi obnoxii sunt et veri civitatum gubernatores scriptas leges temperant, alias ferunt, alias

*) cf. Phaedr. B. I. 1. p. 66. et p. 68 ad fin. et 101 a
verbis: *λαβὼν ψυχὴν* (Tauchn. pag. 47. 49 et 71.) cf.
etiam Protag. B. I. 1. 221 sq. (T. II. p. 194.)

**) cf. Phaedr. B. p. 52. *ἰψεῖοντες - ναὶ τοῦτον.* (T. VIII.
p. 37.)

***) cf. de Rep. I. V. p. 261. (T. p. 197.)

antiquant, sive consentiunt cives sive detrectant *). Atque omnes, ut Plato quidem judicavit, civitates feliores forent, si pro legibus scriptis tales nanciscerentur viros, qui scientia praediti omnia moderarentur. Scriptae enim leges non omnibus consulere et satisfacere nec semper recte judicare possunt **): illi autem divini homines, quoniam justum et bonum intelligentia perspectum habent, omnia recte instituere et disceptare queunt. Ut philosophos ad amplissimam auctoritatem Plato provexit, ita artem dialecticam plurimum exornavit, quum fictricem et moderatricem instrumenti facheret, quo omnes cogitationes omniaque sensa nostra cum aliis communicamus. Certe nemo non mirabitur, quae subtilitas, quae ingenii magnitudo in Platone fuerit, si legit, quae de formandae linguae ratione ille sensit. Non licet mihi de hac re plura disserere: id solum monebo, quod ad rem mihi propositam pertinet. Quia enim non modo ars dialectica lingua tanquam instrumento utitur, sed omnino omnes nostrae cogitationes et illae rerum notitiae nominibus et verbis devinciuntur et designantur, res erat consideratu dignissima ***), annon ex ipsius linguae investigatione veritas atque scientia hauriri posset. Plato itaque in Cratylō docuit, linguam ad naturam rerum cognoscendam ducere non posse, nisi res his nominibus notasset, quibus earum vis insinuaretur. Atqui id ipsum postulare, ut aliquis prius,

*) cf. Politic. B. II. 2. 523. et sqq. (T. p. 258 sqq.)

**) v. Politic. pag. 326 infr. et sq. (T. p. 269.)

***) cf. Cratyl. B. II. 2, 3. pag. 52. (Tauchn. II. 255.) *ἴσως δὲ ἔντα αὐτῶν καὶ ὑπὸ θεοτέρας δυνάμεως ἡ τῆς τῶν ἀνθρώπων ἐπίθη.*

quam rebus nomina imponeret, res ipsas cognosset *). Scientiam igitur non pendere a lingua, sed rectam rationem et usum sermonis a scientia, quae praecipue in constituendis elementis et verbis primitivis elucere deberet. Ut itaque sermo quidam ejusmodi esset, qui viam ad res intelligendas muniret, ab eo conformatum esse debere, qui, scientiam jam assecutus, nomina et verba i. e. notas et signa rerum ad earundem naturam quam maxime accommodaret: sed quibus linguis homines loquerentur, in his verba plerumque ex arbitrio usurpata esse: frustra igitur laborare, qui eis perscrutandis veritatem explorare vellet **). Quemadmodum itaque philosophus solus legum dominatione solutus est, quia solus leges condere callebat, summamque legem, a qua ceterae manant, ipse obtinet, ceteros autem legibus parere oportet; sic neminem decet in lingua aliquid novare, nisi qui dialectica instructus sit. Instar Dei igitur, qui in rerum universitate regnat omniaque gubernat, scientia regnat in laudatis artibus et disciplinis, gubernacula tenet in civitatibus, et quum ipsa lingua, qua omnis doctrina et institutio omnisque literarum communio efficitur, ei pareat, in omnibus humanis rationibus et publicis et privatis, in cogitando et agendo haec una scientia efficacissima est.

Si omnia, quae de scientia disseruimus, breviter complectemur, quid tandem scientia erit ex mente Platonis? Non est in sensibus: non est judicium ne

*) cf. impr. B. II. 2. p. 18 infr. sq. (T. II. p. 246 in med.)
et p. 108. (T. p. 434.)

**) cf. p. 113. (T. p. 511.) p. 121. (T. p. 518) a v.v. οὐδὲ
πάντα νοῦν ἔχοντος ἀνθρώπου etc.

verum quidem: non ars quaedam aut literarum doctrina neque vulgaris ista prudentia; sed ad id semper spectat, quod est idem et perpetuum, proficiscitur a ratione, versatur in formis aeternis: mentem a sensibus ad genera et species avocat, quae ab ipsis ideis manant, et aut ad res cognoscendas applicari aut ad enodandas ipsas ideas adhiberi possunt. Ideae enim, extremae rationes humani animi, firmari quidem aliis rationibus nequeunt, elici autem et evocari possunt: quod fit arte dialectica. Hauriuntur vero ideae ex ipsa recordatione, quae si excitata est et studiose agitatur, scientiam homini affert. Scientia igitur est recordatio illa divini ejusdemque beatissimi via et ratione illustrata, quo efficitur, ut, omni mentis caligine dissipata, animus, qui ante opinabatur, ad summum conjiciebat et quasi divinabatur, rerum veritatem cognoscat. Eademque recordatio quia intimam partem animi tenet, et, ut cor in corpore, sic ipsa in animo vitae et agitationis causa est, scientia totum hominem occupat, neque jacet, sed viget et est ipse impetus animi nostri, qui et ad veritatem inquirendam et ad virtutem excercendam nos impellit. Virtus ergo cum scientia necessitate quadam conjuncta est. Quod enim in Deo summa bonitas est atque veritas, scientia unice ad eas dirigitur; quae quum perfectissima pulchritudine, quae item in Deo est, contineantur, scientia hanc appetens animum ad eam imitandam adgit, quod fieri non potest, quin omnes nostras actiones et totam vivendi rationem ad temperantiam, fortitudinem, justitiam et prudentiam moderemur: tum existit absolutissimae illius puichritudinis imago, quam virtutem appellamus. Hac ratione Plato fines philoso-

phiae eos constituit, quibus tota disciplina circumscribi debet. Quum enim doceret, philosophum primum moveri pulchritudine dignitateque figurarum ac formarum, quae in sensus caderent, deinde magis ad pulchros animos pulchris formis inhabitantes converti, deinde omni corporum pulchritudine repudiata se conferre ad actiones et studia honesta, denique ipsam sapientiam consecitari, quae perfectissima esset in Deo, totum orbem philosophiae descriptsit, quae a spectabilibus exorditur, finitur in rebus divinis. Juvat me ad finem hujus partis verba Platonis memoratu dignissima afferre, quae leguntur in Philebo *). „Nunc quidem, care Protarche, non quaero, quae ars aut quae disciplina sit, quae maxima nobis commoda praebeat, sed, quaenam certe et perspicue et verissime nobis rerum vim enucleet, sive multa sive pauca commoda nobis suppeditet: illam quaero scientiam, cui respondeat naturalis appetitio, quae animum nostrum ad inquirendam veritatem impellit eumque instigat, ut veritatis causa omnia agat**). Haec autem vis inest rationi et menti nostrae: ceterae artes quaeque ad eas pertinent, opinionibus utuntur easque res, in quibus istae dominantur, perquirunt. Verum autem etiam illae artes, quae rerum naturam investigare videntur, applicatae ad res visibiles nunquam assequuntur veritatem, quoniam ea spectant, quae nunquam erant, erunt et sunt, sed continenter mutantur. Veritas autem et scientia natura simplices sunt, quae esse non

*) B. II. 3. p. 234 ab init. (T. III. p. 214.)

**) ἀλλ' εἰ τις πέφυνε τῆς ψυχῆς ήμῶν δύναμις ἐρᾶντες τοῦ ἀληθοῦς καὶ πάντα ἔνεκα τούτου πράττειν.

possent, nisi id ipsum, cui insunt, immutabile esset atque aeternum.“ Redeo nunc ad dialogum nostrum, a quo tota nostra oratio profecta est, ut, quae reliqua sunt, moneam. Satis autem iis, quae de scientia Platonica supra concessi, ad intelligendum gravissimum locum, qui in hoc dialogo nobis occurrit, viam praemunivisse mihi videor. Apte quidem hic locus, in quo celsa Socratis mens spirat, cum illis cohaeret, quae in secunda parte explicavi. Ne vero in hac tercia parte dissertationis incondite et turbide omnia effutiam, in ordinem ea redigens, primum, qualis sit hic dialogus et quocum jungi debeat, animadvertis: deinde digressionem illam suavissimam, quam Plato quidem *πάρεργον* nominat, proponam, et quid sentiam de ea, dicam; denique, quae de Socratis persona et arte hic commemorantur aliaque leviora in medium proferam.

In hoc dialogo itaque, quamquam ars dialectica maxime viget atque excellit, primae tamen partes ei concedi non debent. Minus enim de ratione disserendi dilucidanda stabiendaque agitur, quam de re ipsa, quam Plato hic explanare voluit. Proxime autem ad dialogum, qui inscribitur Gorgias, collocandus est: quod quam recte fecerint viri doctissimi, intelliges, si hos dialogos contuleris. Ut enim in Gorgia vulgari opinioni in rebus, quae ad conformandos mores et singulorum hominum et civitatum universarum spectant, se opposuit, demonstrans, quam perniciosa, quam vaga et incerta illa esset, quamque expers omnis artis atque cognitionis; ita in Theaeteto similem quaestionem sibi proposuit, quum de eo, quod omnibus doctrinarum disciplinis commune esset, nempe de scientia, disputaret. Ut in Gorgia primum certa-

men subit cum adversariis, qui opiniones, non veritatem consectantes, omnia quidem referunt ad rerum speciem, omnesque suas rationes ad ea, quae videntur et fiunt, componunt, sed sententias suas ad artis formam redigere callent; dein vero acrius etiam luctatur cum homine, qui, plane pravis opinionibus imbutus, nihil altius sentit, sed unice commoda hujus vitae affectans repudiat laudem rationis, qua artes liberaliores conformantur, ut Socrates, dialectica arte importunitatem hominis vix sustinente, ad efficacissima pectoris sensa provocare cogatur: ita in Theaeteto dialectica disquirendi ratione planius rem persequitur, quod nemo inducitur adversarius, qui ejusdem plane sit rudis, et omne certamen adversus disciplinas est, quae ad artem quidem redactas sunt, et abhorrent ab illis, qui nihil verum esse censeant, nisi quod manibus, ut ajunt, prehendant. Ut itaque in Gorgia docet voluptatem prorsus sejungendam esse a bono honestoque, ita in Theaeteto magis physica tractat. Ut in Gorgia, quum quaestio magis versetur in actionibus et moribus, philosophiae vis in agendo praesertim perspicua redditur, ita in Theaeteto res disquiritur, quae sola in meditatione posita ab usu vitae communis separata est. Quae autem veri philosophi imago in Gorgia inchoatur, ea perficitur in pulcherrima nostri dialogi digressione, de qua nunc locuturi sumus. Non inopportunum erit, summam ejusdem breviter proponere. Comparatur rhetor cum philosopho. Sed rhetorem non intelligo vulgarem causidicum — qui enim cum ejusmodi homine philosophus ille perfectus et absolutus conferri apte possit? — sed latius patere hoc nomen arbitror. Hic igitur rhetor diu multumque

versans in iudiciis et causulas agens, quum undique legibus a multitudine scitis, clientium commodis, iudicum voluntatibus adstrictus sit, et ab adversariis nihil, nisi ut ipsorum causa, sive mala sit sive bona obtineat, curantibus omni arte circumveniatur, nihil liberi, nihil sinceri, nihil celsi magnique in animo moribusque suis tuetur, sed ad omnem improbitatem abducitur, et in dies pejor evadit: acer enim, litigosus, adulator, fraudulentus, injustus redditur, et dum servis *), qualis ipse est, operam suam collocat, ipse servilem animum induit, ut nihil sani, si adoleverit, in eo reliquum sit, quamvis peritus et sapiens habeatur. Alter autem, in cuius mente natura philosophia est, hujusque praeceptis bene imbutus animus, nihil expetit eorum, quae plurimi affectant **); nihil eorum curat, quae ante pedes sunt: cum corpore solo in civitate versatur, mente haec omnia minimi aestimans, perlustrat rerum naturam. Quamobrem, ut omnes philosophiae dediti, male audit, irridetur a multitudine, homo iners et ineptus, qui munere publico fungi non possit, plerisque habetur. Tantum enim abest, ut laudet aut convitietur aut gloriatur, ut potius talia rideat. Ridet, si quis tyrannum aut regem quendam ob imperii amplitudinem laudibus efferat; ridet, si quem propter divitias laudari audiat ***), ridet

*) cf. Phaedr. B. I. pag. 95 ab. init. (T. VIII. p. 67 ab init.)

**) cf. etiam de Republ. I. VI. B. p. 2. *τοῦτο — ἀληθεῖαν στέργειν.* (T. 208.) Gorg. B. II. p. 170 a. vv. *χαλεπίν οὐν εἴσαις* ect. (T. III. 121.)

***) cf. Lysis. B. I. pag. 112 med. (T. IV. p. 143.)

si quis ob nobilitatem generis praedicetur. Ad rerum enim universitatem animum semper advertens partes non magni dicit et facile in his rebus rhetori cedit. Quum vero hunc secum trahit per partes ad formas et genera *), ut non de singulis hominibus, sed e natura humana et beatitudine, de officiis, de turpi et honesto, de bono et malo omnis quaestio sit, tum ille tanquam vertigine captus nec se colligere neque consistere potest et risum movet non apud imperitos quidem, qui ipsi has res ignorant, sed apud peritos, si rhetorem in suavissimo genere dicendi, quo vera Deorum hominumque vita apte laudetur, plane alienum vident. Quod si homines se persuasos haberent, pluris esse libertatem animi, quae a justitia et pietate et contemplatione rerum naturae nascitur, quam omnes alias res, quae splendidiores, quam utiliores sunt, et animum humanum deprimunt magis, quam erigunt, plus boni, minus mali esset in genere humano. Verum autem tolli omnino malum non potest, quoniam bono contrarium aliquid esse semper debet **): hoc autem non apud Deos sedem habet, sed in hominibus viget et dominatur. Quisque igitur quam celerrime hinc illuc aufugere studeat, oportet; aufugere autem est Dei simillimum fieri ***), quod justitia tantum et morum sanctitate a veri cognitione et intelligentia profecta assequi possumus. Virtus vero

**) cf. Phaedr. B. I. 78 ad f. (T. VIII. p. 55 ad f.) et B. p. 45 ad fin. (T. p. 32.)

**) cf. Lysis B. I. 140 (T. IV. 165.)

***) cf. Leges I. IV. p. 355 ad fin. (T. 128.) a. vv. ὁ δῆθις θεός
ἵματι πάντων χρημάτων μέρεον ἀν τινὶ μάλιστα etc.

non expetenda, nec scelus cuique fugiendum est eo, ut bonus videatur, sed ut Dei similis fiat. In hac re posita est vera hominis gravitas; hujus rei cognitio vera sapientia est atque virtus, ignoratio autem inscienza et nequitia. Ceterae artes et disciplinae flocci sunt habendae et serviles. Qui itaque improbe agit, huic non concedendum est, multum in sapientia eum profecisse*). Quamquam hujus modi homines gloriantur hoc opprobrio et audire putant, se non esse inepta terrae onera, sed viros, quorum salus patriae quam maxime proposit. At gravis poena eos manet. Duo enim sunt quasi exempla, alterum beatissimi ejusdemque divini, alterum contrarii et infelicissimi: hujus ergo in dies similiorem fieri, haec est gravissima poena **), qua etiam post mortem improbi illi afficiuntur. Sed haec homines isti ob insolentiam et fastum non curant, ne audire quidem volunt, eosque stultos judicant, qui talia loquuntur. Pauci, in quibus melior natura inest, si rationem de suis opinionibus reddunt, et corrigi se patiuntur, ad extreum sibi ipsi displicant et respuunt suam eloquentiam ut lanquidam et jejunam.

Haec verba sunt sapientis, quae quum legerem, semper mirum in modum animus mihi commovebatur. Nam, nescio quo pacto, quamquam repugnante communi vitae ratione et usu, vera tamen mihi videbantur. Scientiam igitur in aeternis ideis, quas ratio complectitur, esse confirmat: inde lumen afferri

*) cf. de Republ. I. VII. B. p. 335 ab init. (T. 253.) a. vv.
τι δε; τοδε — ἀπωνίσθαι.

**) cf. Leges. B. III. vol. 2. pag. 373 et 374. (Tauchn. VI. pag. 141. in med.)

rebus humanis, mentem ad altiora attolli, omnem
hominis dignitatem efflorescere *). Cognitiones cete-
rarum rerum gloriosas quidem esse et ad honores et
divitias comparandas longe utilissimas, sed re parvi
esse aestimandas, quoniam animum a veritate, a jus-
titia, a pietate magis avocarent, quam incenderent ad
humanissimum has virtutes expetendi exercendique
studium. Non ignoro, Socratem ea de causa increpi-
tum esse a multis iisque omni laude doctrinae floren-
tibus, quod minus vere vidisset contemnens artes
et doctrinas, quae utique ex nostrae vitae rationibus
essent necessariae: nimis eum inclinasse dicunt in illam
philosophiae partem, quae vitam atque mores modera-
retur. Evidem tantum absum, ut Socratem arbitrer li-
terarum et doctrinae contemtorem, ut justum et
prudentem earum existimatorem habeam. Neque
adduci possum, ut credam, Socrati ingenium defuisse,
ita ut negligeret ea, in quibus multum se proficere
posse desperaverit; sed divino quodam motu animi
majora expetentis **) eum inflammatum fuisse censeo,
ut ad illa omnia sua studia, omnes cogitationes, om-
nem voluntatem dirigeret; haec, quorum momentum
atque pondus bene perspexisse mihi videtur, non multum
desideraret. Sit sane ita: contemserit alias artes: habita-
verit, haeserit solis in his studiis et contemplationibus,
num vituperabimus eum? Saepe numero quidem et
in hoc viro et in aliis miratus sum, qui tandem ali-

*) cf. Phaedr. B. I. 41 ab init. (Tauchn. VIII. 29.) et
Euthydem. B. II. 1. p. 427 a med. (T. II. p. 107.)

**) cf. Phaedr. B. I. 1. p. 8 ab init. a. vv. εμοὶ δέ. (T. VIII.
p. 5.)

quis nostrum auderet, hominem ingenio et probitate et prudentia omniq[ue] virtute excellentem reprehendere, si quid dixerit, quod a communi usu abhorret? Quin vulgaria, trita, minuta petanu[m]? his scilicet animi hominum moventur, et meliora docentur! Utinam tandem hi homines cogitent, quo iure sibi alterius rationes et studia displiceant, eodem se isti penitus improbari posse! Quis arbiter sit? num multitudo? ad quam qui provocabit, errores et deterrima quaeque facile tuebitur: an utilitas? quis quaeso unquam putabit veritatem utilitate esse metiendam? Si utilia intelligis eadē, quae in vita necessaria sunt, multa sunt necessaria non in literis et doctrinae studiis, sed etiam aliis in rebus, neque tamen insignia ad maximam laudem. Nam etiam ars pistoria et sutoria utilis est et necessaria, nec tamen multi pretii habetur. Sed contrahere notionem hujus vocabuli solemus; aliam vim hic quidem ei tribuimus. Ac profecto ad hanc' si respiciamus, quis est, qui negare possit, quae Socrates omni laude ornavit, ad quae semper cives adhortatus est, ea esse utilissima generi humano. Omnia magna, salutaria, pulcherrima quaeque, quae unquam in humano genere constituta, facta, gesta sunt, unde manarunt, nisi ex hoc ipso fonte aeternarum formarum, quae rationi nostrae insunt? Clamat historia; ne repugnemus. Civitates, leges, religio, cetera, quae homines a feritate ad humanitatem traducebant; omnia, quae ista servabant et tuentur, nascuntur ab illis. Atque tum homines probos, prudentes, virtutis studiosos, tam cives bonos aptosque ad capessendam et bene administrandam rem publicam, quos cummaxime

patria ejus desideravit, Socrates conformare et instituere voluit, quod si quis alias, ipse egregie fecit. Eum tamen non ignorasse puto, alia multa in nostra vita et in societate humana esse necessaria et leviora quoque, modo mentem exercitarent, non esse repudianda; sed nugas tantum sectari, rebusque plurimum tribuere, quae aut prorsus nihil aut minimum ad veritatem, ad mores, ad rei publicae salutem conferrent, ita impunere juvenibus, fallere spes civitatis, corrumpere mores civium, ostentare sapientiam, id reprehendit, perstrinxit, omni modo oppugnavit. Ut vero severius judicaverit, acrius et fortius nonnullas res improbaverit, facile veniam dabimus viro, cui adversus sophistarum agmen certandum fuit; facile Platoni, si quaedam amplificaverit. Etenim quum contraria conferuntur, eo magis viget comparatio, quo magis, quam pugnantia illa sint, ob oculos ponitur. Magua ingenia non vulgaribus normis ac legibus astringenda sunt. Temporibus, quibus scelus, fraudes, malae opiniones dominantur, raro emittitur vox, quae veritatis propria vi atque gravitate alia meliora et recta et honesta monet et dei oraculum magis, quam hominis sermo existimanda est. Quae Socrates monuit, egit, spectavit, non doctrinae, quam fateamur saepe sicutam esse, laudem captabant, sed verae sapientiae nomine digna sunt. An majus quid et praestantius cogitari potest, quam vox illa „similes fiatis Deo“, quam emisit vir natus et commorans in levissimo populo et quadringentis annis ante, quam in contemtissimo alter ille divinus natus est, qui lumen veritatis afferens humano generi graeci sapientis sententiam sua voce, sua auctoritate confirmavit.

Hoc igitur gravissimo loco, in quo praeter quae-dam sermonis ornamenta, quae Platonis sunt, nihil est, quod non Socratis ingenium referat, firmatur nostra platonicae scientiae explicatio, quam supra dedimus. Praeclare enim Plato hīc docuit, si mens a sensibus avocata versaretur in contemplanda rerum universitate et natura animi nostri, et per genera et species ad illas extremas cognoscendi rationes progrederetur, scientiam comparari, quae, quum totum hominem perfunderet, in totam ejus et cogitandi et sentiendi et agendi rationem redundaret. Ad hunc egregium locum Plato jam ab initio hujus dialogi verbis Theodori, quibus Theaeteti indolem laudat, innuisse mihi videtur. Ibi enim comperimus, Socratem ad philosophū secundum hanc speciem, quam ipse animo videbat, conformandum, non modo ingenii virtutem, quae cerneretur in sagacitate, acumine mentis, bona memoria, facilitate et cupiditate discendi et meditandi, sed etiam animi aequitatem et celsitatem naturā pectori incidentem requisivisse *). Tardos ingenio et oblivious et divitiarum amantes respuit. Vix autem dici potest, qua arte Plato hanc digressionem collocarit. Ut vigor et gravitas ejusdem quam maxime eluceret, ubi opportunius intexi ea potuit, quam post contentionem dialecticam, qua adversus argutias sophistae certandum fuit, in quibus nihil reperitur, quod animum moveat aut inflammet? Subito magis magisque vis orationis crescit, ut effluat et abripiat, deinde ad pristinum quasi alveum recurrens plenius quidem et incitatius aliquantis per fertur, paulatim sedatus fluit

*) cf. de Rep. lib. VII. B. p. 364 ab init. (T. p. 274.)

et tranquillus, tandem ad suam naturam revertitur. Pauca restant, quae de hac parte dialogi mihi monenda sunt. Quae de veri philosophi despicientia rerum humanarum et inscientia, hoc loco dicuntur, in his non verba urgenda sunt, sed sententia est consecunda *). Fortasse autem Plato rem de industria exaggravit, ut gratiam iis referret, qui in eo reprehenderint, quod disciplinam ita componeret, quasi inter semideos, non inter homines viveret, et magis in figmentis, quam in veritate rerum humanarum sit occupatus. Quae porro Socrates de regibus, de nobilibus, de plebe, quam animalibus pejus et ferocius quoddam genus appellat, loquitur, ex his conjici non debet, eum turbulentum civem fuisse, qui res legibus, institutis et more civili sanctitas sermonibus suis evertere esset conatus. Id longe secus est. Veritatem sequebatur, nihil vituperabat, nisi quod haec condemnaret, falsas dico opiniones, quae aequi singulis ac toti rei publicae nocerent **). In primis autem eos exagitabat, qui ad captandum locupletum, potentium, aut plebis favorem in turpes adulationes et nefarias laudes inanissimarum levissimorumque rerum se effunderent nihil curantes, num hominum patriaeque saluti sic consuleretur an obficetur. Haec libertas in dicendo, irrisio illa atque simulata inscientia, tantum ei apud rhetores, sophistas, viros civiles, plebejos et nobiles odium conflaverunt,

*) cf. Phaedr. B. I. v. p. 46. ὁ φιλόσοφος ἐξιστάμενος δὲ τῶν ἀνθρωπίνων σπουδασμάτων καὶ πρὸς τῷ θεῖῳ γιγνόμενος etc. (T. VIII. 33.)

**) v. Gorg. B. II. 1. p. 160 ad extr. et sq. (Tauchn. III. p. 114.) cf. Politic. B. II. 2. p. 536 et 537. (T. IV. 267.)

ut capit is eo demnaretur: cuius condemnationis causa in apologia obscurius et minus accurate exhibetur. Restat, ut de historicis, quae tanquam ornamenti causa huic dialogo addita sunt, pauca moneam. Historica autem ea dico, quae in jaciendo dialogi nostri quasi fundamento et in adumbrando Socratis ingenio ejusdemque ratione disserendi explicanda versantur. Superiora haec sunt. Plato tempore belli corinthiaci Euclidem et Terpsionem convenisse fingit, sive eum ad illud proelium celeberrimum, in quo Iphicratis ingenio et virtuti ipse Agesilaus cessit **), innuisse putas, sive cum Schleiermachero v. cl. statuis, de leviore quodam proelio, quod in eodem bello ad Corinthum commissum sit, cogitandum esse. Sermo autem, quem Euclides literis mandasse dicitur, habitus est Platone ipso auctore paulo ante Socratis mortem. E bello igitur corinthiaco Theaetetum virum satis spectatae fortitudinis et probitatis, corpore vulneribus et morbo tum utique confecto, ut in periculo esset, ne absumeretur, domum revertentem Euclides Megarensis bonam partem viae prosecutus est. Hujus viri indolem coram populari suo Terpsione laudat Euclides, multaque laude Socratis sagacitatem extollit, qua hominum, quibuscum fuerit, perspexerit animos. Id se comperisse dicit in Theaeteto, quocum Socrates aliquando esset collocutus. Hunc sermonem Socrate ipso secum communicante, se conscripsisse idque fideliter, quoniam, quaeque oblitus fuisse, ea, quotiescunque venisset Athenas, iterum ex illo quaesivisset. In his Euclidis verbis Socherus v. d. paulum haesisse videtur, quod

**) Xenoph. Hell. 1 IV. c. 5. §. 11 sqq.

parum cum iis, quae ad extremum dicerentur dialogum, consentanea essent: ibi enim Socratem haec loquentem induci „at jam tempus est, in regiam porticum abeundi“. Quamquam vir doctus rem non longius persequitur, eam tamen notavit, quasi inde aliquid conjici posset. Evidem vero talia, praesertim in dialogorum scriptoribus nequaquam urgenda esse censeo: in hujusmodi rebus scriptores sua quemque libertate uti, quis ignorat? Levissimi momenti haec sunt, vix memoratu digna, nisi graviora quaedam accesserint, quorum pondus illa paululum augeant. Quam ob rem autem hunc dialogum ab Euclide conscriptum fuisse Plato fixerit, si quem quaerere juvet, puto voluisse eum amico suo, apud quem diuerat commoratus, literarum monumentum ponere. Cui id non placet, facile aliam causam conjiciet: dicere poterit, nullam personam tam apte dialogo, qui totus fere sit dialecticus et contentiosus, illigari potuisse, quam hunc ipsum Euclidem, Megarensis scholae principem, quae graecis ἐριστική appellata praecipue in dialecticis viguerit. Sed has delicias mittimus. Ad colloquium Socratis cum Theaeteto Plato sibi ita viam munivit. Socrates Theodorum Cyrenaicum geometram convenit quaeritque ex eo, num inter discipulos ejus aliqui athenienses juvenes essent, qui virtute ingenii praestarent. Theodoro igitur respondente, sequendam reperisse, in quo et maxima esset ingenii sollertia et incredibilis quaedam animi aequitas, Socrates vir patriae amantis simus humanissimo gaudio impletus illico postquam Theaetetus — hunc enim juvenem Theodorus nominaverat — cum aliis aequalibus advenerat, cum eo colloqui exorditur et arripiens ea, quae paulo ante

Theodorus de facie Theaeteti, quam similis Socrati esset, dixerat, quaestiuculis quibusdam quasi prolungationibus adolescentem eo perducit, ut generatim statuat, neminem vere judicare posse, nisi de rebus, ad quas peritus sit. Peritum autem esse et scire, pergit Socrates dicere, idem haberi: operaे pretium itaque esse, indagare, quid sit scientia. Hoc igitur quasi historicum dialogi fundamentum ductum est. Quaerat fortasse quispiam, cur tandem Socrates etiam atque etiam Theodorum rogaverit, ut sibi responderet. Semper quidem artem Platonis et in tota dialogorum ratione instituenda et in delectu personarum, quas in iis loquentes facit, miratus sum, quam consideranter, quam prudenter, quam apte omnia digerat, disponat, collocet et pertexat. Pari modo in hoc quoque dialogo tam caute tamque circumspecte partes colloquentibus distribuit, ut nihil prorsus reperiatur, quod aut a re aut a persona alienum sit. Quum enim animadverteret, gravitatem rei videri posse diminui, si Socrates cum juvēne solo de ea dissereret: sin vero uno cum Theodoro controversiam illam disceptaret, nec rem tam perspicue et enucleate examinari neque rationem disserendi philosophandique, qua Socrates utebatur, satis insigniri posse videret, quod multa tum erant amputanda et omittenda, quae, ut ex tota dialogi ratione intelligimus, Plato in primis suis lectoribus proponere studuit, utriusque consuluit et in commoda egregie distribuendis colloquentium partibus sustulit. Inurbane enim, ne dicam arroganter, egisset Socrates, si Theodorum *), hominem sincerum et optima existimatione

*) cf Diogen. Laert. Lib. II. c. 8. segm. 19. et Xenoph. Memor. I. IV. c. 2, §. 10.

dignum, quaestiuculis ita insectatus esset, ut mox concederet ille, mox refutatus sententiam mutaret. At Theaeteti personae convenit, juvenili quodam ardore nonnulla sentire et statuere, quae a Socrate statim refelluntur vel emendantur. Qua autem in sententia refutanda Socrates plurimus est, quam omni sale et irrisione discutit, haec ipsa non est Theaeteti, sed Protagorae, sed jonicae scholae. Hoc artificio acerbis in juvenis istius persona illorum virorum temeritatem et perversam opinionem explodi illudique, quis non videat? In iis vero, quae Theaetetus e suo penu ex promere videtur, tum quasi eliciendis, tum corrigendis et redarguendis Socratica disputandi ratio optime declaratur. Quum severius jam acturus est et ad penitus evertendam Protagorae rationem se accingit, tum Theodorus in auxilium vocatur, qui pro virili parte Socratem adjuvans magis etiam et liberius jonicam praesertim scholam exagit, quod sane juvenem illum nullo modo decuisset. Ita auctoritate personae disputationis gravitas augetur, et hujus rei invidia a Socrate, aut potius a Platone, amoveri videtur. Nemo vero, qui Platonem legerit, ignorabit, in plurimis fere dialogis lineamenta non oris modo sed multo magis ingenii animique Socratis illum ita effinxisse et designasse, ut his undique collectis et compositis tota hujus viri species et imago conformetur: quae quam vera sit, hic non ago; sed qualiscunque est, multum Platoni debemus, quod viri sapientia excellentis imaginem tam diligenter, tam pulchre expressam nobis tradidit. Quod non modo pietatis et grati animi causa, ut magnum suum in philosophia doctorem immortali memoria atque laude prosequeretur, Nostrum fecisse

arbitror, sed saepe hanc rem consideranti mihi visum est, personam Socratis a disciplina ejusdem separari nullo modo potuisse, quod ille ipse vivendi rationem nunquam a doctrina se junxit *), sed omni loco, omni tempore, omni vitae conditione probavit, se ad philosophiam non esse doctum et institutum, sed imbutum et natum esse. Quum igitur ejus philosophandi ratio ad ipsius personam tam accommodata et quasi devincta esset, ut multa in alio quopiam omnia alia fuissent, quam in Socrate fuerunt, quum Socratis inquam philosophia cum ejusdem natura et habitu, veluti animus cum corpore, juncta esset, Plato utrumque disjungere non potuit, quin intelligentiae Socraticae philosophiae officeret. Multa etiam in nostro dialogo extant, quae ad Socratis personam adumbrandam faciunt: nonnulla autem, ut jam Schleiermach. V. cl. egregie observavit, quae solum ad Platonem ejusque vitam spectant. Nam verisimile est, a multis scribendi genus, quo ipse utebatur, tanquam latius et verbosius; modo interrogationibus concisum, modo ubertate luxurians, non raro insulsis interrogatiunculis lentum et taedii plenum — at quid attinet divinari, quae virtus ejus obtrectatores viderint — reprehensum esse. Certe lacessitum et irritatum fuisse Platonem, quum hunc dialogum scriberet, praeter alia ipsa indignatio jam satis significat, quae multis in locis in acerbissimam irrisionem et amaras vituperationes effunditur, ut fere continenter omnia tela in sophistas vibrare videatur. In quibusdam locis dum se purgare simulat, illudit eos, qui ipsum vituperaverint: in alias vehe-

*) cf. Laches.

menter invehitur, ut paene eos concidat: perstringit sophistas, ob quaesitam obscuritatem, qua reconditio-
ris sapientiae laudem captarent; propter inconstantiam,
qua modo novis quibusdam et inauditis verbis aliisque
artibus suas disciplinas tantis tenebris involverent, ut
nemo, nisi qui in haec mysteria initiatus esset, veram
mentem caperet; modo pecuniae cupiditate abrepti
tam large eas et perspicue traderent, ut etiam ad su-
tores descendere viderentur: irridet festive eorum ar-
gutias in interpretandis locis Homericis, quos ad suas
sententias accommodarent: cavillatur eorum arrogan-
tiam, quum omnem cognitionum humanarum copiam
se explorasse et enucleasse profiterentur, et in conten-
tiosis disputationibus, quibus non veritatem, sed lu-
dum et delectationem quaererent, alii alias eludentes,
suas festivitates et ingenii acumen ostentarent. Quam
amare exagitat jonicam disciplinam *), cui qui dediti
essent, eos semper fluere neque consistere unquam
nec quiete interrogare aut respondere posse; sed si
quis ex eis aliquid quaereret, perplexas quasdam sen-
tentiunculas quasi e pharetra promentes alias post alias
telorum instar jacere: nullos iis esse discipulos, sed
omnes a se nasci, aliis alias repudiantibus. Omnis
autem leporis jucunditate pleni sunt loci, quibus Pro-
tagoras Socratem increpat, quod Deos, de quibus ipse
ne verbum quidem fecisset **), num essent an non,
in medium proferret, neque necessarias adhiberet con-

**) cf. ex. g. Euthyd. B. II. 1. p. 455 sqq. (T. p. 130.)

**) cf. Diogen. Laert. I. IX. c. 8. περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω
εἰδέναι, εἴθ' ᾧς εἰσὶν, εἴθ' ᾧς εἰσὶν· πολλὰ γὰρ τὰ κω-
λύοντα εἰδέναι οὐ τε ἀδηλότης οὐδὲ βραχὺς ὥν ὁ βίος τοῦ ἀν-
θρώπου.

clusiones, sed probabilibus rationibus esset contentus *). Plura ejusmodi commemorare possum, sed ne longus sim, omittam; id modo ostendere volui, quam praeclarè hic non intelligendi modo, sed dicendi magister omni facetiarum ac dicacitatis genere tanquam variis et hilarissimis coloribus totum sermonem ita distinxerit, ut instar picturae luminibus umbrisque apte dispositis nitidissimam laetissimamque speciem praebat. Veni ad ea, quae de Socrate ejusdem arte in hoc dialogo memorantur. Pauca de Socratis figura: simitas illa et eminentes oculi: de ejus indole plura. Quod multi de Socrate judicium tulerunt, amantem eum fuisse generis humani, amantiorum patriae, id Socratis verba confirmare videntur. Diserte enim ait, Athenas sibi cordi esse, Cyrenaeorum res se non curare. Hoc tamen vitio ei verti nolim. Deinde fatetur, se disserendi tam cupidum esse, ut omnes labores et molestiae ipsum ab hac re non deterrent. Dubitare enim de omnibus neque ipsum expedire se posse, nisi cum aliis ea anquireret: itaque se consulere illos, qui sapientes haberentur, ut aliquid ab iis disceret. Artem vero, quam exerceret, similem esse arti obstetricum. Ut hae enim parturientes juvarent partusque dolores et excitarent et sedarent, sic ipsum idem facere, sed in adolescentibus et viris, omnibusque sua consuetudine graves dolores moveri, qui a dubitatione proficiserentur. Ut porro obstetrices optime nuptias conciliare callerent idque munus eam ob causam tantummodo desererent, ne in lenocinii incurrerent suspicionem, ita etiam ipsi a Deo datum esse, ut per-

*) cf. Gorgias. B. II. 1. p. 79. (T. III. 55.) *δημηγορεῖς* etc.

spiceret juvenum animos, et ad quae aptissima essent eorum ingenia, cognosceret. Sed difficilius ipsi esse partum illorum judicare, num bonus esset an inanis; multisque se odio haberi, quibus falsum partum solvisset, et, ut eum abjicerent, suasisset. Ut obstetrics denique jam essent effetae, sic ipsum nihil parere. Illos igitur, qui secum essent, quamvis sua consuetudine admodum proficere viderentur, ab ipso tamen nihil discere; sed omnia ex semet ipsis haurire, parturientes vero adjuvari ab ipso et Deo. Inde accidere, ut omnes, qui ipsum despicerent et justo maturius ab ipso discederent, non modo, veritate neglecta quum simulacra consecteturarentur, deteriores fierent, sed etiam ea amitterent, quae ante assecuti fuissent. Quicunque eorum suam familiaritatem ab integro peterent, horum aliis obstare daemonem suum, quominus reciperet eos; alios, quos ille admitteret, iterum proficere. Quos autem omnino non vere praegnantes ipse cognoverit, eos, quoniam sua arte non indigerent, ad alios sapientes viros, a se deduci. Imprudenter autem agere eos, qui aegre ferrent, si falso partu ab ipso solverentur: benevolo enim animo se id agere, quodque nefas duceret, cedere falsis, deserere veritatem. Atque tanto veritatis amore Socratem captum fuisse Plato testatur, ut in rebus investigandis nullius, ne Homer quidem, auctoritati cederet. Quid Noster de Socratica disserendi consuetudine in hoc dialogo tradidit? In omnibus quaestionibus eum in primis spectasse docuit, quid illud esse, de quo disputaretur et per partes ad genera sermonem revocasse, ut hominum, quibuscum disceptaret, libidinem coiceret. Argutias autem Socrates quam maxime evitabat: nunquam verba urge-

bat *), nisi ad rem dilucidandam aut facilius intelligendam id pertineret. Ut ad genera et species rerum perveniret, exemplis a rebus corporeis, saepe abjectissimis, petitis viam sibi aperuit. Si vero rem subtilius tractaret, exempla petivit ab arte mathematica, praesertim quoniam vim quandam perspicuitatis in se habent, ex qua aptissime applicantur ad illustrandam viam atque rationem, qua mens in philosophicis plane a sensibus sevocatur. Quod autem personatus hic Protagoras in Socrate vituperat, quod omni, quae interesset inter disputationem contentionis et concertationis plenam et quaestionem, qua auditores essent docendi, distantia sublata utroque genere promiscue uteretur, ut deciperet et luderet, ubi severe agendum et redarguendum esset, id in sophistarum propriam disserendi rationem cadit, et a Socrate, nisi cum illis pugna erat, nunquam adhibebatur; ipse veritatem quaerebat, sapientiam non ostentabat: sed viri simplicitatem sophistae eo magis oderunt, quo magis fucatam eorum sapientiam superabat. Profecto Socratis disciplina virilis erat, plena robore et lacerti, nata a pectore divina quadam concitatione commoto. De hoc dialogo hactenus. De dictione alias fortasse, quam de toto loquendi genere, quo Plato usus est, disseram.

**) cf. Polit. B. II. 2. p. 255. καὶ διαφυλάξῃς etc. (T. IV. p. 212.)

Am 18ten October vorigen Jahrs wurde an unserer Anstalt das Schuljahr eröffnet, und im Verlaufe desselben wurden hinsichtlich des Unterrichts und der Disziplin dieselben Bestimmungen festgehalten, wie sie bereits in den früheren Programmen waren angegeben worden. Der Lehrstoff, Sprachen, Wissenschaften und technische Fertigkeiten umfassend und auf ein stufenmässiges Fortschreiten berechnet, war für dieses Jahr unter die sechs Klassen des Gymnasiums, welche sich in drei besondere Bildungstufen theilen, auf folgende Art vertheilt:

A) Sprachen.

(Der Sprachunterricht, der sich blos auf die alten Sprachen und auf die Muttersprache erstreckte, zerfiel in den besondern grammatischen Unterricht, in Lektüre und in theils mündliche theils schriftliche Stylübungen.)

a) Lateinische.

1) **Sexta:** in sechs wöchentlichen Stunden die Formenlehre nach Schulz. Bröders Elementarbuch bis Seite 40. Schriftliche Uebungen und Auswendiglernen von Vokabeln und kleinen lateinischen Sätzen.

Hr. Lehrer PRANGHE.

2) *Quinta*: in sechs wöchentl. Stunden nach derselben Grammatik, Wiederholung und Fortsetzung der Formenlehre, dann die fasslichsten Regeln der Syntax verbunden 1) mit Lesung und Erklärung ausgewählter Stellen aus Jacobs und Doerings Elementarbuch, vorbereit. *Curs.*, dann 2) mit schriftlichen und mündlichen Uebungen theils in diktirten Aufgaben theils nach Doerings Anleitung zum Uebersetzen aus dem Deutschen ins Lateinische, und 3) Auswendiglernen von lateinischen Vokabeln und Sätzen.

Hr. Lehrer MOCKEL.

3) *Quarta*: in acht wöchentl. St. Etymologie und Syntax nach derselben Grammatik verbunden mit Lesung und Erklärung von Jacobs und Doerings latein. Elementarb. 2s. Bändch. S. 158—226 u. Phäders Fabeln I — III. Buch nebst den Regeln der Prosodie, ferner schriftliche und mündliche Uebungen theils in diktirten Aufgaben theils nach Doerings Anleitung, und Auswendiglernen gelesener lateinischer Stellen.

Hr. Lehrer PRANGHE.

4) *Tertia*: in welcher Klasse der besondere grammatis. Unterricht beendigt wird; in acht wöchentl. Stunden 1) die ganze Grammatik nach Grotfend durchgeführt nebst der Prosodie 2) Lesung und Erklärung a) der Biographien des Cornel. Nep. mit Auswahl und b) ausgewählter Stücke aus dem I, IV, X, XI. Buche von Ovids Metamorphosen 3) schriftliche und mündliche Uebungen, theils in diktirten Aufgaben, theils nach Doerings Anleitung II. Cursus.

Hr. Lehrer KANNE.

5) Secunda: 1) Lesung und Erklärung *a)* des IV, V und VI. Buchs von Virg. Aen. in 4 wöchentl. Stunden.

Hr. Oberl. DOMINE.

b) in fünf wöchentlichen Stunden Livii Hist. loca select. e lib. II, III, V, IX, XXI., dann 2) lateinische Grammatik mit steter Rücksicht auf die griechische; insbesondere die Lehre über Casus und Praepositionen, Conjunctionen, Indicativ und Conjugativ erörtert; 3) mündl. Uebersetzungen aus Doering nebst schriftl. Arbeiten über Gegenstände der Antiquitäten und Literaturgeschichte.

Hr. Dr. SCHOPEN.

6) Prima: 1) Lesung und Erklärung *a)* ausgewählter Sermonen des Horaz, dann dessen lib. de arte poet. in drei wöchentl. Stunden.

Dir. BIEDERMANN,

b) in vier wöchentl. Stunden Sallust. Conj. Catil., Cic. de fin. bon. et mal. Vtes Buch. Cicer. Orator. 2) in zwei wöchentl. Stunden Stylübungen die $\alpha)$ in schriftlichen Uebersetzungen, $\beta)$ in freien Ausarbeitungen $\gamma)$ in mündlichen Uebersetzungen aus Doerings 4ten Cursus $\delta)$ in sogen. extemporalibus bestanden.

Hr. Oberl. RIGLER.

N.B. Mit der Lesung der lat. Schriftsteller waren in den obern Klassen zugleich Uebungen im Lateinsprechen verbunden.

b) Griechische.

Der Unterricht in der griechischen Sprache beginnt in

Quarta: in welcher Klasse in 6 wöchentlichen Stunden der elementar- und etymologische Theil von Buttmanns Schulgrammatik bis §. 115 verbunden mit Uebersetzung und Erklärung des I. Cursus von Jacobs griech. Elementarbuch, dann mit Uebersetzungen aus dem Deutschen nach Haas griech. Speccius bis S. 76 vorgenommen wurde.

Hr. Lehrer KANNE.

Tertia: in sechs wöchentl. Stunden 1) nach derselben Grammatik, Wiederholung des etymologischen Theils und die Syntax bis §. 140; 2) Jacobs griech. Elementarb. II. Cursus mit beständiger Hinweisung auf Buttmanns Grammatik; 3) Uebersetzung aus dem Deutschen nach Günthers Anleitung bis I. Cursus.

Hr. Lehrer KANNE.

Secunda: in 7 wöchentl. Stunden a) Xenoph. Memor. Socr. e lib. I, II, III. b) Homer. Odyss. Rhaps. IV—IX. c) nach Buttmann. Grammatik: ausführliche Erklärung der Syntax d) Extemporalien und schriftliche Arbeiten.

Hr. Dr. SCHOPEN.

Prima: in 7 wöchentl. Stunden a) Sophoclis Ajax und Euripidis Phoenissae b) Plutarchi. Cato minor, Plat. Apolog. und Crito, lateinisch übersetzt und erklärt; c) Stylübungen, bestehend 1) in schriftlichen

und mündlichen Uebersetzungen aus dem II. Cursus
von Günthers Anleitung.

Hr. Oberl. RIGLER.

c) Deutsche.

Sexta: in acht wöchentl. Stunden 1) nach Heyse kleiner Grammatik die Formenlehre; Orthotonie; Orthographie; Einleitung in die Wortfügung. 2) Leseübungen nach Sebers Musterbuche, Deklamation und schriftliche Uebungen.

Hr. Lehrer KANNE, Hr. Hülfelehrer KNEISEL.

Quinta: nach ders. Grammatik in 8 wöchentl. Stunden, Fortsetzung der Formenlehre und die fasslicheren, Regeln der Syntax, Lese- und Deklamation-Uebungen und schriftliche Aufgaben.

Hr. Lehrer MOCKEL.

Quarta: Etymologie und Syntax nach derselben Grammatik, Lesung ausgewählter Stücke aus Sebers Musterbuche, Deklamation und schriftliche Uebungen in 4 wöchentl. Stunden.

Hr. Oberl. DOMINE.

Tertia: Heyes grösere deutsche Grammatik durchgeführt; Lesung ausgewählter Stücke aus Sebers Musterbuche, Deklamation und schriftliche Uebungen im Style in 4 wöchentl. Stunden.

Dir. BIEDERMANN.

Secunda: Lesung und Erklärung ausgewählter Stücke aus Sebers Musterbuche für die obern Klassen mit besonderer Rücksicht auf die einzelnen Stylarten, und mit Hinweisung auf die Grammatik; Deklamation und schriftliche Uebungen in 4 wöchentl. Stunden.

Dif. BIEDERMANN.

Prima: Lesung und Erklärung ausgewählter Stücke aus deutschen Dichtern und Prosaiern nebst einer gedrängten Uebersicht der Litteratur der Deutschen; schriftliche Uebungen und Deklamation in 4 wöchentl. Stunden.

Hr. Oberl. DOMINE.

d) Hebräische.

Prima und Secunda: in zwei wöchentl. Stunden ausser der Zeit des öffentlichen Unterrichts nach der Grammatik von Gesenius die ganze Formenlehre und ein Theil der Syntax verbunden mit Uebungen im Punktiren hebräischer unpunkтирter Stücke, und im Ueersetzen und grammatischen Erklären des I. Buchs Sam. R. I — VIII.

Hr. HORST.

B) Wissenschaften.

a) Religionlehre.

Prima und Secunda: in zwei wöchentl. Stunden: Einleitung in die christliche Religion, dann die christliche Sittenlehre, nach Fischer.

Hr. Oberpfarrer JVEN.

Tertia mit Quarta: in zwei wöchentl. Stunden Christkatholische Glaubenslehre nach Ontrup.

Hr. Kaplan BIERBAUM.

Quinta mit Sexta: Uebersicht der christkatholischen Glaubens- und Sittenlehre und die 4 Evangelien in 2 wöchentl. Stunden.

Derselbe.

b) Geschichte und Geographie.

Sexta: in 4 wöchentl. St., die allgemeinen Vorbegriffe der Geographie; die Kenntniß der 5 Welttheile und ihrer bezüglichen Lage; die Gränzen von Europa, dessen Hauptgebirge, Hauptflüsse, Hauptstaaten, mit ihren Hauptstädten, die genauere Bekanntschaft mit sämmtlichen zum deutschen Bunde gehörigen Staaten und eine specielle Kenntniß von Preussen.

Hr. Dr. SCHOPEN.

Quinta: Gedrängte Uebersicht der allgemeinen Weltgeschichte in 4 wöchentl. Stunden.

Derselbe.

Quarta: die Geographie der 5 Welttheile, die politische Geographie von Europa insbesondere, in 3 wöchentl. Stunden.

Hr. Oberl. DOMINE.

Tertia: Uebersicht der allgemeinen Weltgeschichte in 3 wöchentl. Stunden.

Derselbe.

Secunda: Geschichte der altasiatischen und altafrikanischen Staaten; Geschichte Griechenlands, Mazedoniens und der aus der Theilung des Reichs Alexanders des Grossen hervorgehenden Staaten bis auf die Zeiten der römischen Herrschaft, in 3 wöchentl. Stunden.

Hr. Oberl. RIGLER.

Prima: neuere Geschichte bis zur französischen Revolution, in 3 wöchentl. Stunden.

Derselbe.

c) **Mathematik.**

Sexta: in 5 wöchentl. Stunden, die 4 Species sowohl nach dem dekadischen auf Dezimalbrüche erweiterten Systeme, als nach andern ähnlichen wie auch unregelmässigen Systemen; Anschauunglehre nach Türk.

Hr. WILBERG.

Quinta: die vier Species in benannten Zahlen; Bruchrechnung; die Lehre von den Verhältnissen und Proportionen; Vorbegriffe der Geometrie, und geometrische Sätze mit Auswahl, in 5 wöchentl. Stunden.

Derselbe.

Quarta: in 5 wöchentl. Stunden, Anfangsgründe der Buchstabenrechnenkunst; Theorie der Gleichungen des 1ten Grades mit einer und mehreren unbekannten Grössen; Elementargeometrie.

Derselbe.

Tertia: Potenzen und Wurzeln; Elementar-Theorie der Logarithmen und deren Gebrauch für Probleme; Progressionen; quadratische Gleichungen; geometrische Construction in Aufgaben geübt, deren Auflösung durch die gerade Linie und den Kreis geleistet werden kann; Anfangsgründe der Stereometrie, 5 Stunden wöchentlich.

Hr. Dr. und Prof. LIESSEM.

Secunda: Anfangsgründe der Lehre von den Reihen; Elemente der Combination, mit Anwendung auf Potenzirung der Reihen; analytische Geometrie.

Derselbe.

Prima: Auflösung algebraischer Gleichungen vom 3ten und 4ten Grade; arithmetische Reihen figurirter Zahlen und deren reciproke Summen; Anwendung der Trigonometrie auf geometrische Aufgaben, 5 Stunden.

Derselbe.

d) Physik.

Der Unterricht in der Naturlehre fällt in die drei obern Klassen.

Tertia: in zwei wöchentl. Stunden eine gedrängte Uebersicht der Naturlehre.

Hr. WILBERG.

Secunda: die Lehre von den flüssigen Körpern, von festen und flüssigen in Verbindung, vom Schalle, von den einfachen und zusammengesetzten Stoffen, vom Wasser und den Luftarten nach Kries Lehrb. der Physik, 2 Stunden.

Hr. Dr. u. Prof. LIESSEM.

Prima: die Lehre vom Lichte und vom Weltgebäude, 2 Stunden.

Derselbe.

e) Naturbeschreibung.

Dieser Zweig des öffentlichen Unterrichts ist in die drei untern Klassen des Gymnasiums verwiesen.

Sexta: Begriff, Eintheilung, Kenntniß des Thierreichs, 2 Stunden.

Hr. Lehrer MOCKEL.

Quinta: das Pflanzenreich mit näherer Rücksicht auf die einheimischen Pflanzen, 2 Stunden.

Derselbe.

Quarta: Uebersicht der drei Naturreiche mit besonderer Behandlung des Mineralreichs, 2 Stunden.

Derselbe.

C) Technischer Unterricht.

a) Kalligraphie.

In jeder der beiden untern Klassen wöchentlich 3 Stunden.

Hr. Hülfflehrer KNEISEL.

b) Zeichnen.

In jeder der vier untern Klassen wöchentl. zwei Stunden.

Hr. WEINREIS.

c) Gesang.

Wöchentlich für die beiden obern Klassen 2 für die beiden mittlern 2 und für die beiden untern 2 Stunden.

Hr. Lehrer MOCKEL.

A n h a n g.

1) Am 8ten Dez. v. J. fand die feierliche Einführung der beiden Lehrer statt, des Oberlehrers Hrn. Fried. Anton. RIGLER und des Kollaborators Hrn. Drs. SCHOPEN, und am 3ten August d. J. dem hohen Geburtstage Sr. Maj. unseres Königs wurde unserm Oberlehrer, Hrn. Prof. LIESSEM wegen seiner vieljährigen Verdienste um das Unterrichtswesen in hiesiger Stadt die Doctorwürde in der Philosophie von Seite der Königl. Rhein.-Universität zuerkannt.

2) Im Verlaufe des Schuljahrs zählte unsere Anstalt in Prima 6, in Secunda 41, in Tertia 37, in Quarta 32, in Quinta 54 und in Sexta 42, also zusammen 212 Schüler; von diesen haben die Anstalt wieder verlassen theils wegen Veränderung des Wohnortes der Eltern, theils wegen Ergreifung eines bürgerlichen Gewerbes theils auch wegen Vertauschung des öffentlichen mit dem Privatunterrichte aus Secunda 10, aus Tertia 4, aus Quarta 9, aus Quinta 6, aus Sexta 2 Schüler. Ferner gehen mit dem Schlusse dieses Schuljahrs zur Universität ab:

Ludwig v. Cler, aus Bonn, mit dem Zeugnisse Nro. II.

Johann Wilhelm Meckel, aus Blankenheim, mit dem Zeugnisse Nro. I.

Johann Vüllers, aus Bonn, mit dem Zeugnisse Nro. II.

Der erstere, um sich der Rechtsgelehrsamkeit, die beiden letztern, um sich der Theologie zu widmen. Es bleiben daher noch 178 Schüler, welche ihre Jahres-Censur erhalten.

Ordnung der öffentlichen Prüfung.

a) Freitag den 13. Sept. Vormittags von 9—12 Uhr
für die beiden oberen Klassen.

- 1) Der Primaner Mathias Korty deklamirt: An die Natur, Hymnus von Kosegarten.
- 2) Der Secundaner Anton Niederstein deklamirt eine lateinische Rede: Vergleichung Alexanders und Cäsars.
- 3) Religion: Hr. Oberpfarrer IVEN.
- 4) Griechische Sprache in Prima Hr. Oberl. RIGLER.
- 5) Lateinische Sprache in Secunda Hr. Dr. SCHOPEN.
- 6) Mathematik in Prima Hr. Dr. u. Prof. LIESSEM.
- 7) Geschichte in Secunda Hr. Oberl. RIGLER.
- 8) Der Secundaner Carl Windischmann deklamirt: Orpheus von Justi.

b) An demselben Tage Nachmittags von 3—6 Uhr
für die beiden mittlern Klassen.


- 1) Der Tertianer Franz Halm deklamirt: Pegasus im Juche, von Fr. v. Schiller.
- 2) Der Quartaner Joseph Parmentier deklamirt: die seltsamen Menschen von Lichtwer.
- 3) Lateinische Sprache in Tertia Hr. Lehrer KANNE.
- 4) Latein in Quarta Hr. Lehrer PRANGHE.
- 5) Mathematik in Tertia Hr. Dr. u. Prof. LIESSEM.
- 6) Griechische Sprache in Quarta Hr. Lehrer KANNE.
- 7) Der Tertianer Heinrich Braschofs deklamirt: das grosse Loos von Langbein.
- 8) Der Quartaner Reiner Rieth deklamirt; der Vogelsteller von Herder.


c) Samstag den 14. Sept. Vormitt. von 9 — 12
für die beiden untern Klassen.

- 1) Der Quintaner Rudolph Bouvier deklamirt:
der Chamäleon von Nikolai.
- 2) Der Sextaner Carl Kemp deklamirt: die An-
muth der Natur nach einem Gewitter von Hirsch-
feld.
- 3) Religion: Hr. Kaplan BIERBAUM.
- 4) Latein, Herrn Lehrer MOCKEL und PRANGHE.
- 5) Geschichte und Geographie Hr. Dr. SCHOPEN.
- 6) Deutsch, Herrn Lehrer KANNE und MOCKEL.
- 7) Der Quintaner Heinrich Prink deklamirt: der
Komet von Weifse.
- 8) Der Sextaner Johann Hef s deklamirt: der
Kampf der Tugend von Gellert.

An demselben Tage Nachmittags um 3 Uhr.

- 1) Gesang.
- 2) Der Quartaner Carl v. Boos deklamirt: Colum-
bus von Louise Brachmann.
- 3) Der Tertianer Gustav Hasse deklamirt: der
Kampf mit dem Drachen von Fr. v. Schiller.
- 4) Der Secundaner Joseph Brehm deklamirt: die
Frühlingsfeier von Klopstock.
- 5) Gesang.
- 6) Entlassung der Abiturienten.
- 7) Abschiedsrede in lateinischer Sprache gesprochen
von Johann Meckel.
- 8) Beantwortung in lat. Sprache von dem Primaner
Wilhelm Fester.
- 9) Gesang.





TIFFEN® Color Control Patches

Centimetres **TIFFEN**[®] Color Control Patches © The Tiffen Company, 2007

This image is a grayscale test chart, likely a color calibration target or a film strip. It features a grid of color patches and a central registration mark. The colors include black, white, red, green, blue, cyan, magenta, yellow, and three shades of gray. A small crosshair is positioned in the center of the chart.

